F. AMBROSII CATHARINI POLITI EPISCOPI MINORIENSIS,

DE CONSIDERATIONE ET IVDICIO PRÆSENTIVM *temporum à ſuperſatis zizanijs in agro Domini. Lib. IIII.*

Cum Gratia & Priuilegio.

VIVO MORTE RECTA MEA.

SEMPER EADEM

G F

Venetijs apud Gabrielem Iolitum de Ferrarijs.

M D X L V I I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTH. S. M. AD MINERVAM ORD. PRAED.

3

Ai

FRATRIS AMBROSII CATHARINI

Politi Senenſis, in libros de conſideratione, et iudicio præſentium temporum, ad uniuerſos chriſtiani gregis Epiſcopos, et Catholicas eorũ eccleſias.

PRAEFATIO.

QVVM IN Phariſæos magiſter & dominus noſter illud obijciebat. Hypocritæ, faciem cœli dijudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis: una opera nos admonebat, O gregis chriſtiani paſtores, multò mihi honore colendi, ne in eandem incogitantiam & inconſiderationem, profectò nimis noxiam, incideremus. Nam ſicut ad uſum miſeræ uitæ huius neceſſe eſt de facie cœli obſeruare temporum occaſiones pro frugibus terræ, ita profe- Matth. 16.

*ctò eſſet chriſtianæ prudẽtiæ pro ſa-
lute animæ ſpiritualiter à certis ſi-
gnis temporum proſpicere qualita-
tes, ut uideamus quid dominus Deus
noſter à nobis depoſcat. Ne igitur
ego huius rei nomine accuſari meritò
poſsim, ſæpenumerò mecum de hac no
ſtrorum temporum conditione animo
tractans, nõnulla ſum commentatus,
Idq; præſertim ab ea die qua ſanctiſ
ſimi D. N. Papæ iuſſu, uniuerſalis
eſt indicta Synodus, & de dogmati-
bus atque abuſibus ſimul cœptum eſt
tractari. Primò enim cum ad Luthe-
rum ac ſui ſimiles, ideſt, nouos (ſua
ſponte) mundi huius magiſtros, atq;
impias & inſanas eorum doctrinas
ſtudia mea cõuerterem, quorum præ
cipuè gratia collectum concilium eſt,
quantò magis de homine eiusq; per-*

uerſis dogmatibus cogitabam, tantò magis illo cogitationum occurſu in admirationem rapiebar, quonam pacto homo tam apertè malignus, & per doctrinam tam euidenter impiam ac peſtilentem, potuerit ſibi ullos comparare uel ſectatores uel fautores. Nam cum duo ſint potiſsimum quæ facere ad perſuaſionem ſolent, Alterum dicentis probitas ſaltem apparens, Alterum uerò dictorũ aſſertio conſtans atque probabilis, unde aliqua ueritatis ſpecies oſtentetur: utrunque horum tantum ab hoc homine et illius pronuntiatis diſtare certò proſpiciebam, quantum Paradiſus Dei diſtat à centro terræ, unde admiratio illa uehementer ac mirum in modum augebatur. Verùm quoniam (ut rectè inquit Philoſophus)

ex admiratiōe data eſt occaſio ad philoſophandum, hoc eſt, anſa præbita ad inquirendum rerum & euentuum cauſas (quoniam natura non libenter ignoramus) quibus inuentis continuò admiratio euaneſcit. Ego ex una in aliam cogitationem aſcendens, ad ſupremum tandem diuini luminis radiū aciem meæ mentis conuerti, quo omnium mirabilium effectuū cauſæ perſpicuè, nō lippis oculis, contemplantibus manifeſtātur. Ibi igitur intuens, uehementer tantorum malorum cauſas deprehendere mihi ſum uiſus: nec id ſolum, uerùm etiā ad ipſa hæc mala, optima coniectare (modo illa uelimus agnoſcere, et applicare morbo) remedia. Quamobrem quoniam hæc ſcire, & de his prudentem habere ſermonem hunc parit fructum, induxi in

animum cunctam iſtam conſideratio-
nem meam mandare literis, & illam
uobis ſanctiſſimis Epiſcopis & cun-
ctis Chriſtianis eccleſijs ſedulò com-
mendare.

Primo igitur huius noſtri tracta
tus libro proponã & deſignabo Lu-
therũ, cuius uitã et mores pandã, tan
quàm omnium Choriphæum, patrẽ,
& autorem eorum qui illum imitati,
aut etiam ſectati ſunt, ut in illo etiam
cæteros ei ſimiles diſcat facile ſapiẽs
lector. Secundo autem libro eorũ
doctrinam recenſebo, & diuidam in
ſua peſtilentia dogmata, nihil eis per
calumniam impingens, ſed ipſorũ uer-
ba fideliter recitans; et loca unde ſunt
deſumpta: ut cognoſcat catholicus le-
ctor magnas occurrere admirationis
cauſas cogitanti, qui fieri potuerit ut

homo tam prauus uita, tamq́; inſanus doctrina, ualuerit tãtum morbũ immittere, tãtum negotium facere, tantumqué diſsidiũ concitare in eccleſia Dei uiuẽtis. Erit autem tertius liber, ubi per apertionem uerarum cauſarum tãtæ calamitatis ac huius peſtis, manifeſtabuntur remedia, quæ ſi non apprehendantur à nobis, ut æquum eſſet, ſignificatur quarto libro, q́ meritò iuſtificabitur ſapientia Dei à filijs ſuis, propter admirabilem eius in ſua eccleſia prouidẽtiam, quæ tandẽ (ut ſpero) nõ continebit in ira ſua miſericordias ſuas, ut cum exarſerit in breui ira eius, beati ſint qui ſperant in eo. Huius rei gratia deſumptus ẽ hic mihi labor, ut quiſq́; ſtudeat in tã to rerum turbine, ita ſe continere ac regere, ut non in eum competat terri

bilis illa ſententia Domini. Malos male perdet, & uineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructus tẽporibus ſuis. Aut etiã illa, Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem uero lapis ceciderit, cõteret eum. Qui habet aures audiendi audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs: & quod cuiq; ad ſanitatem uel conſeruandam, uel recuperandam offertur, nõ deſpiciat. Ego enim ipſam rem in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, et beatiſſimæ Matris eius, Angelorum et Sanctorum omnium aggrediar.

DE CONSIDERATIONE PRAESENTIVM TEMPORVM.

LIBER PRIMVS.

DE LVTHERI INGENIO ET ACTIS EIVS.

DIXIT nō INDOCTE *quidam philoſophus homini cuipiam. Loquere ut te uideam, cōſiderans id quod* Do*minus noſter ac magiſter nos docuit, in* Phari*ſæos excandens,* Q*uomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali? & iterum,*Bonus *homo de bono theſauro profert bona:* Ma*lus autem de theſauro ſuo quid niſi mala?* Ita ego de Luthero *aio. Loquatur* Lutherus*, & uideamus eum: prodeat infælicißimus mortalium, ac de theſauro ſuo oſtentet nobis hominem interiorem, referentem imaginem ſui patris, qui dicitur rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.*Et *uos honorandæ* Chriſti *eccleſiæ, obſecro, non ſegniter audite.*

De ſchiſmate impio per illum exorto.

P*Rimum cum iſte uir per inhobedientiam ex profeßione ab eccleſia, & eius capite ſeipſum, auſu*

ſceleroſo proſcidcrit, & chriſtiani gregis nonnullam partem ſuo improbo ſuaſu ad ſe traxerit, & in hac contumacia quinque iam exactis luſtris, ad illum uſque diẽ ſuæ mortis, obſtinatè permanſerit, ſummorum pontificum anathemate palàm proſcriptus, quid hoc eſſe aliud quiſquam dixerit, homo non peruerſi iudicij, quàm illum ſeſe omnium piorum oculis manifeſtè ſchiſmaticum, immò totius ſchiſmatis (quod nunc uiget) autorem & principem prodidiſſe? Quod adeò immane ſcelus non tam ipſo notorio facto, quàm etiam ex ipſius met oris teſtimonio ac profeſſione in ſuis ſcriptis loquẽte, manifeſtè lateq; patet, qui non aliud paſsim crepat, nec profitetur aliud audacius, quàm ſe à Romana *eccleſia & eius* Paſtore *diſsidere, cuius ſanctiſsimam ſedem,* Domini *uerbo conſtitutam, ingenti blaſphemia aſſerit eſſe ſedem* Antichriſti. Ita *innumerabilibus ſuorum librorum locis totus* Satanicò *furore ſpirans, ea de ſchiſmatico illo ſuo pectore euomuit, quæ propter honorem piarum aurium uix auſim recitare.* Afferam *tamen de multis pauca, ut qui illi adhærent, agnoſcant (modo cordis oculos non amiſerint) ſerpentem cui adhærent.* Etenim *anteq̃ in hanc errorum atque ſcelerum ſentinam ſe proieciſſet, in hunc modum ad* Leonem *decimum* Papam *præſcripſerat.* Proſtratum *me pedibus tuæ beatitudinis offero cũ omnibus quæ ſum & habeo, uiuifica, occide: uoca, reuoca: proba, reproba ut placuerit: uocem tuam, uocem* CHRISTI *in te præſidentis & loquentis agnoſcam. hæc ille tunc.* Poſt*modo uero cum eius uocem audiuit, quæ iuſtiſsima ſen*

In reſolutionibus.

tentia infandos eius articulos condemnabat; Tunc de=mum repente quaſi apertis oculis prudens factus, de=prehendit Papam eſſe illum uerum, finalem, peſſimum famoſumq; Antichriſtum, ſubuertentem orbem totum operationibus erroris ſui. Hæc enim non mea, ſed Lu-theri uerba de ſummo Pontifice, qui etiam amplius fu-rens ait. Aſſero & amplector tota fiducia ſpiritus mei articulos per bullam Papæ damnatos, aſſerẽdosq; pronuncio ſub pœna damnationis æternæ, & Antichri-ſtos habendos quicunque bullæ conſenſerint. hæc ille. Quis autem hoc in loco à rabie furioſa, & arrogan=tia luciferiana fœtum ſerpentis uiperæ non agnoſcat? Quis impotentiam non rideat? Quis blaſphemiam non perhorreſcat? Denique quis adeò ſtupidus nõ cer-nat odiũ ſæuiſſimi cordis irritati à ſtimulo ueritatis? de qua nos Apoſtolus docet, quòd patiens eſt, benigna eſt, non irritatur, non inflatur, non agit perperam, & congaudet ueritati? Quæ tantæ uirtutis munera, quantum abfuerint ab hoc homine (ſi modo dignus is nuncupari homo poteſt) facilè tã præfractæ linguæ fu-rioſa uerba teſtantur. Nam ut agnoſcas conatum fu=riæ, quo ſemper ſeipſum malignitate ſuperare conten=dit, audi quidnam alibi adiunxerit, audi inquam, pie le-ctor, & obſtupeſce. Ioannes Vß, ait, non repugnare uidetur quo minus ſit monarchia Papæ: hoc tantum agit, impiũ Pontificem non eſſe membrũ eccleſiæ, mul tò minus Papam: Ego uerò etiã ſi S. Petrus hodie præ=ſideret Romæ, negarem Roma. Pontificẽ eſſe Papã. Pa pa enim eſt res ficta in mundo, neque fuit, neque eſt,

In aſſertio-nibus.

1. Cor. 13.

In Aſſerti.

ſed fingitur eſſe: quare ipſam ſedem beſtiæ nego, ni=hil moratus ſit'ne bonus an malus qui in ea ſedet. Et alibi. Scio, inquit, & certus ſum papatum eſſe re=gnum Babylonis, & potentiam Nimbroth robuſti ue=natoris. hæc ille, & his ſimilia, nec minus horrenda, pijs auribus paßim obiectat; de quibus profectò ſi quis ho=minum ſanæ mentis nō continuò intellexerit illū eſſe per fectè ſchiſmaticum, proferat nobis uerius exemplum, in quo perfectior ſchiſmatis exprimatur ratio, ſi hoc non eſſe uerum ac perfectum ſchiſma contendat. Nam cum omnes qui chriſtiano nomine cēſentur in has duas partes diſtribuãtur, ut una conſentiat & ſubdatur Ro=mano Pontifici, in qua ſunt qui Catholici & eccleſiaſti=ci meritò nominantur: Altera uerò dißideat & ſciun=cta ſit ab illo, qualis eſt hæc Lutheranorum factio, cer=tè in una harum parte (ſicubi tamen fuerit) oportet ue ram inueniri eccleſiam, ut altera conſequenter ſchiſma, tica cōprobetur. Si igitur uera ſit eccleſia in parte Lu=theri, planè ſequitur ut qui Papæ adhærent, & in hunc uſque diem adhæſerunt, ſchiſmatici inueniantur, Et ita erit ſchiſmatica illa eccleſia quæ hoc priuilegio digna ſemper ē habita, ut ſemper ab ipſo naſcentis fidei exor dio, ſit Catholica nuncupata. Nam D. Auguſtinus de Romana eccleſia id conteſtatur. Hoc; catholicæ; nomen non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe catholicos dici uelint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad catho=licam conueniatur, nullus hæreticorū uel baſilicam ſuã, uel domum audeat oſtendere, Hæc ille glorioſißimus

De captiuitate Babilonica.

In libro contra epiſtolã fundamenti.

doctor: Et nunc unus Lutherus iuuentus eſt qui eccleſiam hoc nomine;Catholicæ;tot ſæculis honoratam, nihilominus ſchiſmaſticiſsimam eſt auſus pronunciare. Cui dicto ſi addideris,quòd antequàm hic ab eccleſia ſe & ſuos ſegregauit, erãt illi nobiſcũ hærentes Papæ, eiusq́; primatum confitentes, fateri cogitur tunc ueram nullibi fuiſſe eccleſiam. Et amplius, quòd tunc naſci cæpit, quùm ipſe ſegregauit ſe,& in ea parte inuenta eſt eſſe eccleſia,quæ deſciuit & ſegregata eſt, & non in ea quæ in antiqua fide, & continuata religione permanſit. At hæc apud eos qui principia fidei retinent,ingentia mõſtra ſunt.Didicimus.n.nos regnum CHRISTI, *quod eſt eccleſia,peremniter permanere,in quo ſi qua fiat ſciſsio, eam partem ſchiſmaticam eſſe planè cognoſcimus,quæ ſegregat ſeſe,non eam quæ permanet.Hæc eſt enim nota ſchiſmaticorum , quam nobis Apoſtolorum doctrina indicat,uidelicet ſegregare ſeipſos.Vnde S. Iudas de his prophetans dixit.In nouiſsimis tẽporibus uenient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulãtes in impietatibus: hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales,ſpiritum non habentes. Senſit autem aliquando hanc inuictiſsimam rationis uim Luterus,qui dixit. Nunquàm mihi placuit,neq; in æternũ placebit quodcunque ſchiſma. Iniquè faciunt Boemi q̃ ſe autoritate propria ſeparant à ueſtra unitate.hæc ille olim.Nec putes aliter illũ unquàm in corde ſenſiſſe,licet aliud uerbo docuerit.Non enim fuit adeò indoctus et amens,ſed ut filius peccati ex malitia & proteruia propter odiũ ueritatis & charitatis, tanquàm filius illius qui cupit*

B. Iudas in ſua epiſtolã.

In diſputatione Lypſ.

ſegregare, diſpergere ac mactare, non quidem ſententiam, ſed linguam mutauit & calamum, proferens contra conſcientiam eà quæ nouit eſſe falſiſſima, ut in ſpiritum blaſphemiæ, & in illius horribilem reatũ inciderit inexpiabilem et in hoc ſæculo & in futuro. Quam ego rem principiò ut uehementer conſyderandam propono: quoniam in hac primùm fidei fundamẽta reguntur, Quo mirabilius hoc apparet q̃ in tanto ſcelere, quale eſt ſchiſma, atq; adeò manifeſto, tot inuenti ſint qui nõ dubitauerint illi ſeſe admiſcere, tanquàm ſit hic ludus aliquis nullius periculi, nequaquàm memores quid Dathan *&* Abiron *acciderit conantibus unitatem ſcindere, quos cum uniuerſa eorum familia deuorauit hiatus terræ, ut deſcenderent in infernum uiuentes, facti exemplum uniuerſæ futuræ eccleſiæ, quæ ſumus nos; quod tamen multi non curant, quia non ſinunt illucere ſibi euangelij ueritatem, ſed ſuis paſſionibus abducti ueluti pecora muta, ut prophetat* Princeps *Apoſtolorũ,*
2. Petri. 2. *nata in captionem & perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt.* Igitur *qui poteſt ſibi cauere, caueat: quoniam durum eſt et horrẽ*
Hebe. 10. *dum incidere in manum* Dei *uiuentis.*

De Apoſtolici muneris præſumpta rapina.

Hebr. 5. CVm *ſcriptum ſit .* Nemo *aſſumit ſibi honorem,*
Ioan. 10. *ſed qui uocatus eſt ut* Aaron; *alioquin fur eſt & latro qui non intrat per oſtium,* Et *hic homo tãtum docendi munus ac prædicandi, ſibi ſuamet autoritate de ſumpſerit, etiam contra ſummi* Pontificis *interdictum, quis illum (quæſo) quouis conficto colore ualeat à tanto*

latrocinio

latrocinio excuſare? Væ mundo à tenebris, Etenim cum hæc adeò nota ſint, & à clariſsimis ſcripturarum teſtimonijs tã perſpicuè eluceant, uix tamen quiſquàm mouetur, perinde acſi nihil eſſet Dei *ordinem peruertere.* Hic *non quæritur quid ille prædicauerit, ſed qua poteſtate id fecerit, ſciſcitamur.* Dominus *cõqueritur,* Ego*(inquit) non mittebam eos, & ipſi currebant.* Et Hier. 23. Apoſtolus *ait, Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Rom. 10. *Quid hic uel ipſemet* Lutherus *potuiſſet reſpondere? Qui ſi auſus fuiſſet contrà hiſcere, aut mutire, proprio teſtimonio condemnabatur.* Ipſe *enim in hunc modum docuit aliquando. Quidam, ait, niſi doceant, ſtultiſſima conſcientia credunt ſeſe pecuniam* Domini *ſui abſcondere, & reos eſſe damnationis.* O *bone frater uno uerbo* CHRISTVS *te liberat ab hac quærela,* Vide *euangelium quòd dixit ſic.* Vocatis *ſeruis tradidit illis bona ſua: uocatis, inquit, Quis te uocauit? expecta uocantem, interim eſto ſecurus, immò ſi eſſes ſapientior ipſo Salomone &* Daniele, *tamen niſi uoceris, pluſquã infernum fuge ne uerbum effundas. Si tui eguerit, uocabit te: ſi non uocabit, nõ te rumpet ſcientia tua. Hæc ille olim à ui ueritatis coactus. Quæ & tunc nos in illum cum uiueret intorquentes, rogabamus illum. Quis te uocauit* Luthere? *quur non expectaſti uocantem, ut ingredereris per oſtium, & non aſcendendo aliunde, fieres fur & latro?* Ignoras *quòd quæ uerè ſunt oues, & uerum paſtorem agnoſcunt, non te audient?* Vanũ *eſt autem iactare ſe euangeliſtam, uel apoſtolum, uel angelum* Dei, *& nullam (præter nuda uerba) afferre*

In cõmenta. ad Gal.

probationē: id enim cuiq; in promptu eſſe poteſt. Agnoſcimus ueterem cunctorum hæreticorum prætextum, qui magnificis hiuſmodi ſibi arrogatis titulis imperitam plebem ſeducere conſueuerunt. Quò magis mirandum tam multos tantis priſcorum hæreticorum exemplis admonitos, ea nec agnoſcere, nec ſibi cauere. Verùm ait tandem ſe uocatum fuiſſe. Sed à quo? A magiſtratu, inquit. Sic enim ſcribit in cõm. nouis ad Galat. O uocationem egregiam & tanto Apoſtolo dignam. Nec etiā puduit theologum tam inani ac turpi origine, & autoritate fulcire apoſtolatum ſuum. Nam à quo habuit magiſtratus ille poteſtatem mittendi? quando alios miſit unquam? Vicarius CHRISTI, *& omnis eccleſia catholica reprobat hominem; & ipſe à magiſtratu ciuilium & ſecularum cauſſarum accepit apoſtolatum, ſcilicet ut puritatem euangelij noua doctrina uniuerſo mūdo ipſe impuriſſimus exhiberet. Quantò minus amēter quidam hæreticorum, qui ſuā miſsionē à Deo eſſe, inuiſibiliter tamen, aiebant; Hic uerò tantus magiſter non eſt auſus: in quo etiam grauius peccat, dum quæ ſunt diuina prophanans, ſacram poteſtatem, quæ eſt ſacerdotum* CHRISTI *uicem gerentium, tribuit nullo exemplo prophanis magiſtratibus, Illi autem non uiolantes quod eſt diuinæ legis, ſicut tu ſacrilegè uiolaſti, ſolummodò impudenter mentiuntur, qui fingunt ſe inuiſibiliter à Deo miſſos.*

De manifeſto ſpiritu hereſiæ, quo tenebatur.

F*Verunt ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hunc uſque diem multi nobilium hæreticorum, qui infandas hæ*

reſes effutiuerunt, At qui etiam animum tanta hæreſis prauitate confectum oſtentauerit, legi prorſus neminem. Non hic illum hæreſis nomine accuſo, quòd illud uel illud peruerſum dogma docuerit, quod iudicio doctorum hæreticum cenſeatur, ſed ipſam eius mentem hæretica prauitate iniuſtam, ſuiſmet uerbis manifeſtatam, ut quilibet idiota iudicium proferre ualeat, uolo in perſpicuo ponere. Etenim ab initio, cum nondum erat damnatus, ſed ſua ſponte cauſſam ſuam ad Romanam ſedem deuoluerat, in hunc modum ſcripſit. Non mihi uidetur neceſſaria appellatio, cum ego omnia in iudicium eccleſiæ retulerim, & non niſi ſententiam expectem. Quid enim ultra facere debeo, aut poſſum? Neque enim me reo, aut reſponſore opus eſt, qui non quid ego dixi, ſed quid eccleſia dictura ſit, attendo; nec aduerſarius contendere, ſed diſcipulus audire uolo. & adiecit. Homo ſum potens errare, ſummiſi me, & nunc etiam ſummitto iudicio & determinationi legitimæ S. eccleſiæ, & omnibus melius ſentientibus. hæc ille tunc. At paulò poſt præſentiens à cõſcientia malæ cauſſæ damnationem ſuam, hanc palinodiam canere cœpit. Poſteriorem iſtam, inquit, reſponſionem meam, & ſi cum multa reuerentia dedi, ac ueluti in arbitrium ſummi Pontificis repoſui, non tamen id me feciſſe credas quòd de re ipſa dubitem, aut animi mei ſententiam ſim unquàm mutaturus. Veritas diuina eſt, etiã domina Papæ; non enim iudicium hominis expecto, ubi diuinum iudicium cognoui. Hæc ille, prodere iam incipiens hæreticam illam, quam dixi, animi prauitatem. Et

In epiſtola ad Cardi. Gaieta.

In actis corã Car. Legato.

poſt in peius hæreticorum more proficiens, proclamauit ſic. Proinde uolo eſſe liber, & nullius ſiue concilij, ſiue poteſtatis, ſiue Vniuerſitatum, ſiue Pontificis autoritate captiuus fieri, quin confidenter confitear quicquid uerum uidero, ſiue ſit à catholico, ſiue ſit ab hæretico aſſertum; ſiue probatum, ſiue reprobatum à quocunq; concilio. hæc ille. & amplius. Via nobis facta eſt eneruandi autoritatem conciliorum, & liberè contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta. & amplius, Quòd ſi etiã nunc dicerẽ cuilibet pro libidine, licere concilijs reſiſtere, rectè dicerem. Nota, pie lector, *uerbum præfracti cordis, pro libidine inquit. & amplius uolẽs in ſacramẽto altaris manere cõmunẽ panẽ, & de illo communi pane (quod referre horreſco) prædicari uerè quòd ſit corpus* CHRISTI, *cõtemnens oppoſitam conciliorum ſententiam, ita ſcripſit. Poſtquàm uidi quæ eſſet eccleſia quæ aliter determinaſſet, nempe* Thomiſtica, *hoc eſt,* Ariſtotelica, *audacior factus ſum, & qui inter ſacrum & ſaxum hærebam, tandem ſtabiliui conſcientiam meam ſententia priore, eſſe uidelicet uerum panem uerumq; uinum, quibus* CHRISTI *uera caro uerusq; ſanguis, non aliter nec minus ſit, quàm ipſi ſub accidentibus ſuis ponunt. Quod feci, quia* Thomiſtarum *opiniones ſiue à* Papa *probentur, ſiue à concilijs, manent opiniones, etiam ſi Angelus de cœlo aliter ſtatuerit. hæc iſta furia, nec minus calumnioſè quàm impiè; qui fingit hæc ex doctrina beati* Thomæ *fuiſſe in concilijs deciſa, quæ tamen ante* Thomam *natum, & à* S. Patribus *& à concilijs*

In articulis damnatis.

In Aſſert.

fuerat pronunciata. Idem *prædicat ſæpe erraſſe conci-lia, ſed omnium impiiſſimè, Conſtantienſe.* Vnde *& ali-quos* Ioannis Vß *articulos in eo damnatos, aſſeruit pri-mùm eſſe chriſtianiſſimos, ueriſſimos, & euangelicos, quos nec uniuerſalis eccleſia poſſet damnare. At poſt-modum irritatus tanquàm qui parum dixiſſet, ſemet-ipſum reprehendens dixit.* Erraui, *& hunc articulũ reuoco in hoc quòd dixi, aliquos articulos* Ioannis Vß. *Quare nunc ſic dico, non aliquos, ſed omnes articulos* Ioannis Vß, *Conſtantiæ eſſe damnatos ab* Antichriſto *& ſuis apoſtolis in ſynagoga illa* Satanæ *ex ſcelera-tiſſimis ſophiſtis congregata.* Et *in faciem tuam, ſan-ctiſſime* Dei Vicarie, *tibi liberè dico, omnia damnata* Ioannis Vß *eſſe euangelica & chriſtiana:* Tua autem *prorſus omnia, impia & diabolica.* Ecce *reuocatio-nem quam tua bulla exegit, quid uis amplius?* Nam *ſi Ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus ſum, cum ille minora, & longè pauciora dixerit, uelut in-choans lucem ueritatis aperire. hæc* Lutherus. *Tu au-tem, lector, quid uis amplius ut agnoſcas perfectam & ſchiſmatis & hæreſis rationem in eius corde defi-xam? quæ conſiſtit in ſpiritu contradictionis & per-tinaciæ in propria ſapientia innitente, & contemnen-te cæterorum omnium iudicium, etiam eccleſiæ ſacro-ſanctæ.* Nam de Ro. *eccleſiæ iudicio & ſententia, qua confirmata ſunt cuncta orthodoxa concilia, quæ hacte-nus recepit uniuerſus orbis chriſtianus, obſecro te, bo-ne lector, conſydera quid iſte cenſuit, dixit enim.* Me *hoc potiſſimum mouet quòd* Papa *nunquàm, ne ſemel*

De capti. Babilon.

In Aſſert

In Aſſert.

quidem quenquàm uicerit uel ſcriptura, uel ratione, qui contra illum ſcripſiſſet, dixiſſet, uel feciſſet, Sed ſemper ui, excommunicatione, per reges, principes, & reliquos fautores, aut per dolos malos, & falſa uerba oppreſſerit, combuſſerit, uel alioquin occiderit, cuius rei poſſum teſtibus omnibus hiſtorijs eum conuincere. Hæc iſte Diaboli filius, & manifeſtiſsima porta inferi. Nam ſic aſſerere, profectò non eſt aliud, quàm Dei prouidentiam inficiari, atque omnium hæreticorum cauſſam & defenſionem ſuſcipere, eorumq; peccata & hæreſes in ſeipſum traijcere. Nullus enim unquàm fuit pro hæretico in eccleſia habitus, qui huius Apoſtolicæ ſedis iudicio non fuerit talis declaratus: quoniam ut eleganter ait D. Bernardus ex ſententia ueterum, & cunctorum S. Patrum, Quoties cauſſa fidei uentilatur, ad hãc unam ſedem referendum eſſe, & inde iudicium expectandum, tanquàm de ſpiritu diuino procedens, Domini prouidentia conſtitutum eſt. Nam hoc ſingulariter ipſius Domini, pro illa obtentum fuiſſe, ne deficiat fides eius, una cunctorum S. & eccleſiaſticorum Patrum concors uox, & ipſa rei euidentia planè conteſtatur.

D. Bern.

Lutherus ergo qui ait Papam, ne ſemel quidem, ratione & ueritate ullum ſuperaſſe, ſed ui ſemper ac dolis, conſequenter (ſi ſecum conſtare uoluit) omnes Romanos Pontifices a S. Petro uſque ad Paulum III. qui hodie eius cathedram tenet, ingenti blaſphemia & impudentiſsimo mendacio ſuggillat ac damnat. Et econuerſò omnes hæreticos defendit ac probat. Quòd ſi adiūxeris quòd multæ hæreſes damnatæ ſunt a Papa, quæ

inuicem opponebantur V. G. *Manicheorum & Pelagianorum in articulo de libero arbitrio,& aliæ nonnullæ ſimiliter,conſequens erit hunc uirum,modo furijs in Papam debacchetur & uniuerſam eccleſiam, nihil curare etiam contradictoria ſuſcipere.* Nam & *ſuperius, quum probauit omnes* Ioan.Vß *articulos ut ueriſsimos, in illo furioſo impetu non animaduertit, quòd nonnulli ex illis articulis pugnant cum ſuis, id quòd ipſemet confitetur:quoniam,ut uidimus,*Ioan. *Vß,* Luthero *ipſo teſte, concedit monarchiàm* Papæ *ſi bonus fuerit :* Lutherus *uerò, nec ſancto* Petro *concedit.* Adhæc,Ipſe *idem* Lutherus *ait.* Nõ *rectè faciũt qui me Vßitam uocant:non enim mecum ille ſentit.* Item Ioan. *Vß dixit,contra euangelium eſſe uiros eccleſiaſticos habere poſſeßiones.* Hoc *ſcio non probari in* Lutheri *doctrina.* Item Ioan. *Vß dixit.* Nullus *eſt dominus ciuilis; nullus eſt prælatus, nullus eſt epiſcopus dum eſt in peccato mortali.* Hoc *uerò nec eſſe* Lutheranæ *doctrinæ certum eſt. Sunt etiam alij articuli,in quibus inuicem pugnant:ut hic uideas & cognoſcas prudens lector, hunc hominem non tam diſputare quàm furere.* Quod *ut magis etiã probes,ſi nõ ſatis ſint quæ ſuperius attulimus,attende.Lutherus enim loquitur et ait.Si quo caſu concilium ſtatueret pro nobis,minime omnium uellemus utraq; ſpecie ſacramenti potiri.Immò tunc primũ in deſpectum concilij,uellemus ut utra tantum,aut neutra,et nequaquàm utraq; potiri,ac planè eos anathema habere quicunq; autoritate concilij potirentur utraq;.hæc ille,* Quis *autem in eis non uideat ſpiritum contradictionis* De formula Miſſæ.

non ueritatis amantem, ſed contentiones & rixas perpetuò meditantem? At hoc hæreticæ mentis eſt proprium: Amant enim ſaltem cõtendere ac pugnare, & in B. Aug. *hoc, ut* B. Auguſtinus *teſtatur, conſtituerunt gloriam ſuam, tametſi de uictotia deſperent, ſatis eſt illis ſi pugnaſſe dicantur.* Ne *quis autem dicere poßit iſtum olim talem fuiſſe, ſed tẽporis progreſſu reſipuiſſe, ipſemet* Hæc legũtur ĩ actis. *prouidit. Nam ab ea die, qua primùm in cõuentu* Vuormatienſi *anno* Domini. 1521, *rogatus coram Cæſare de ſuis libellis ac doctrina,* Reſpondit *omnes libros ſuo nomine uulgatos fuiſſe ſuos, & ſua uoluntate æditos, nec uelle eos inæternum reuocare; Ab illa, inquam, die uſq; ad ultimum uitæ ſuæ, annum planè omnia confirmauit, ita ut in poſtremis ſuæ profeßionis ſcriptis (nouißimum eius teſtamentum quidam uocant) conteſtetur ſe in omnibus ſuis articulis permanere, ac perpetuò permanſurum, nec ulli ceſſurum concilio, nec ſe paſſurum diminui quicquàm, præſertim in articulo iuſtificationis, ad deſtructionem* Papæ, *etiam ſi cælum & terra corruant.* Hæc *ſunt fulmina huius* Goliath, *& exprobrationes in eccleſiam* Dei, *quæ hominem omninò ſubuerſum ac proprio iudicio condemnatum ita manifeſtè oſtẽtant, ut ſupra modum mirabile uideri poßit, quòd ullus hominum fidem ei ullam habere ex corde poßit, cũ quicquid excogitari hæreticæ prauitatis ualeat, illud in proprio corde ſibi infixum ore, ut uidiſti, proprio tam clarè manifeſtauerit: & hæc olim fuit cauſſa, quur poſt primum librum quem in illum compoſui, ſcripſi ſecundo excuſationem diſputationis cum illo, quia cen=*

ſui contra huiuſmodi hominem non eſſe amplius diſputandum, utpote contra contentioſum, & proteruum, incorrigibilem, & negantem certa noſtræ fidei principia & fundamenta: nec per ignorantiam ſeductum, ſed mera malitia ſeducentem, de cuius correctione nulla poterat ſpes eſſe, uel ipſomet teſte in lib. ſuo primo contra Zuinghliũ *aiente non eſſe ſpem cõuerſionis de homine hæreſiarcha, neq; auditum eſſe unquàm quòd ullus conuerſus fuerit, qui falſæ doctrinæ extitiſſet inuentor, eò quod peccatum illud ſit nimis grande, cum blaſphemet uerbum* Dei, *& peccet in* Spiritum *ſanctum. hæc ipſe, ut de ore proprio iudicium ſuum referat coram* Deo *& hominibus.* Q*uare non erat agendum ulterius uerbis cum illo.* Nam *hoc erat cõſilium* Diaboli, *ut quæ ſunt clariſſima, diſputationibus offuſcarentur.* Fit *enim præiudicium catholicæ ueritati, quùm ſuſcipitur publicè cum hæretico diſputatio, propter infirmos in fide.* Q*uare cum imperio obiurgandi potius ſunt ac deteſtandi, cum ſemel atq; iterum reprehenſi non reſipiſcunt, nec metuunt.*

De hominis inſigni apoſtaſia.

N*Ec ſatis illi fuit per ſchiſma inſanum, quod condidit, & per apoſtolicũ præſumptũ munus quòd ſubripuit, & per hæreſeos notam, qua ſuã conſciẽtiam, uelut cauterio quodam, innuſſit, oſtendiſſe nobis quòd erat omni fide indignus, niſi etiã præter hæc, manifeſtũ ſe apoſtatatam declaraſſet, qui priorem fidem, quam* Deo *in profeſſione monaſticæ religionis ſub ordine mẽdicantium hæremitarum* B. *Auguſtini deuouerat, irri*

tam fecit, omnem abs ſe abijciens cum cuculla pudorē. Nam cum multi ſint qui male agant, pauci tamen qui male acta defendant patenter ac probent. At hic noſter iam effrōs, & omnis pudoris penitus poſtergator, hunc auſum (licet improbiſſimum) ita tamen impudenter probat, ut hæc ſancta uota, & regulares ordines, quos proculdubiò Dei ſpiritu ſancti Patres inſtituerunt, ſpurca illa ſua & blaſphema lingua miris modis derideat et ſubſannet, tanquàm hic ſtatus cōtra euangelium militet, qui tamen uelit ipſe, aut nolit, ab eccleſia probatus, à S. Pontificum decretis commendatus, ab ipſis Patriarchis ordinum, & regularum autoribus tum uitæ innocentia, tum inſignibus miraculis ac prodigijs illuſtratus eſt uehementer & cōfirmatus. Quæ cuncta cum ſint ex ſe notiſſima & receptiſſima in eccleſia, cogitur iſte ſumma blaſphemia ac perfidia & inficiari, & reprobare. Sed aliter docere non poterat Apoſtata, ut perfectam apoſtaſiæ rationem compleret, & caderet ſuper caput eius illud infelix Væ, quod per Iſaiam cōminatur Dominus. Isa. 5. cap. *Væ qui dicunt bonum, malum: & malum bonum. Nec tamen id abſq; euidenti prouidentia Dei factum eſt: non enim placuit Deo ut tantus lupus diu ſub illo habitu lateret ad decipiendum, quaſi ſub ouium ueſtimento contectus, ut nunc magnopere mirandum ſit, quòd manifeſtatus euidenter lupus, etiā inueniat oues quæ ſanguinem illi ſuum & uitam credant. Quis non miretur? niſi quòd uerè non ſunt oues, quæ uidentes ac prudentes lupum ſequuntur. Innaturale enim id eſt, nimiſq; præpoſterum.*

De ſacrilegiis eiuſdem.

NEc tamen his tantis tamq; præclaris titulis, qui bus nobilis factus eſt mundo, contentus fuit uir iſte ut diceretur autor tam uaſti ſchiſmatis, & raptor Apoſtolici muneris, & parens hæreticorū omniū ſæculi huius, quod ille cōtra Svinghliū ſcribens tanquàm ſibi glorioſum præ ſe fert (nam omnes nunc à Luthero Lutherani uocantur) Denique inſignis apoſtata, & omnium apoſtatarum anteſignanus. Verùm ut nullum ſacrilegij genus prætermitteret à ſe non patratum, non ſolū autor fuit omnis expilationis ac uaſtationis tēplorū Dei, ſacellorū, altariū, et bonorū eccleſiaſticorū, ſed etiā (quod horrendū eſt) deſtructor uiuorum templorū Spiritus ſancti, & uiolator ſacrarum uirginum ſponſarum CHRISTI. Ipſe enim primus omniū noſtro ſæculo ſibi iunxit monachā abbatiſſam matrimonio ſceleratiſsimo: congruè ſanè factū. Qui enim poterat ſuus ille propheticus ſpiritus aliter perfici, et idoneus reddi ad effundenda iſta ſua ſacra myſteria, niſi in hoc ipſo ſacerrimo connubio à ſinu ſacrilegæ, ſui illius ſpiritus reliquias imbibiſſet? Olim antiqui prophetæ abſtemij, & ab uſu coniugij etiàm liciti ſe abſtinebāt, quùm erāt oracula cæleſtia ſuſcepturi. At hic noſter econuerſò à profeſſione caſtitatis ad carnales nuptias tranſiens, ſacerdos, monachus & maritus, de ſinu Abbatiſſæ uxoris exhauſit ſacramenta cæleſtia, quæ poſtea de ſacro illo ſuo ore profunderet: nec id fruſtra. Nam huius præclari facinoris exemplum pulcherrima æmulatione plurimi ſectati ſunt, qui etiam alieniore ætate facti ſunt

mariti Oecolampadius, Capito, Bucerus, Munſterus, *& alij multi, quorum tæderet nominare recitare, ſed ſcripta ſunt in libro* Luciferi. *Neque hoc in loco id ſolummodo eſt ponderandum quòd ſacrilegium admiſerint quàm ſceleſtiſſimè, ſed q, tanquàm pulchrum & honeſtum, immò & ſanctum facinus, defendunt.* Nam perquàm bellè hoc tã patens & inſigne flagitium, uiri (ut uideri uolunt) euangelici & apoſtolici, prætexunt coniugij nomine, ut ſcelus ſceleri ad perfectam ſui damnationem coniungant. Bucerus egregius præceptoris & uigil æmulator, paulò antè etiam digamus factus eſt Et nunc (ſi uerum eſt quod audio) item trigamus: ſcelus infandum & inauditum à ſæculo de ullo ſacerdote & monacho, quantumuis impudentiſſimo. Narrarunt mihi uiri fide digniſſimi, de Luthero, quòd aliorum nuptias ſæpenumerò ſua præſentia honorans, puellarum admiſcebatur choreis, & ipſe reſtim forſan ductitans. Certè aiunt illum ſic aliquando uino madidum è conuiuijs & eneruatũ inde receſſiſſe, ut neceſſe fuerit ebriũ hac atque illac collabantem ſuper hominum ulnas deponi, domumq; reduci. O theologum dignum certè qui doceat mundum. Quis hic item non demiretur hominem adeò turpem, ac tantorum ſcelerum autorem ita potuiſſe faſcinare homines ac dementare? Quid enim poteſt ad cauſſas admirationis adiungi?

De cerebroſo uiri ingenio, contumaci, & ad excutiendum omne Domini iugum promptiſſimuo.

QVòd ſi quid etiam deſideras amplius, bone lector, attende. Equidē dum nomen aliquod, quod illi pulchré quadraret, inquiro, non aliud congruentius inuenio, quàm Belial, hoc eſt, ſine iugo. Hic eſt enim cuius eſt illa uox propria de Pſalmo. Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis igium ipſorum. Siquidē hic non ſolū uiuas leges, ideſt, principū poteſtates ſemper contempſit, uerùm etiam contemnēdas eſſe docuit. Scriptos uerò Canones, & conſtitutiones imperiales quanti fecerit, teſtificatur ille ſacrilegus auſus, quū autoritate ſchiſmatica & hæretica iuſſit. Decretales Pontificum tradi flammis, & imperialia iura uoluit in ſuis ſectatoribus nullum habere uigorem, idq; (quod ſceleratius eſt) euangelij prætextu, ita ut uelut homo per fricttæ frontis peccatum hoc ſuum inſigne, ſicut Sodoma, prædicauerit: ſic enim ſcripſit. Decretales Papæ nō dico apocryphas, ſicut Vuicleff & Vß dicere iactantur, ſed impias & Chriſto aduerſarias, ſolo ſpiritu Satanæ afflatas, qua cauſſa & eas exußi cum fiducia: hæc ille. In nouiſsimis autem ſuis ſcriptis contra omne ius & fas, & contra uiuum Cæſaris organum, audet pertinaciſsimè defendere notorios inuaſores alienarum terrarum & iuriſditionum: ita ut prætextu euangelij (ſi Deo placet) quod eſt manifeſtè iniurium, & cōtra ius Gentium & ciuile, quaſi iuſtum, ac planè euāgelicum, commēdet, conſtituens ſemetipſum (quod eſt Dei pro=

Pſal. 2.

In Aſſer.

prium) legem, teſtem, ac iudicem. Verùm *quid mirum ſi humana iura negat, cum diuinam legem pernegèt quàm obſtinaciſſime? qui ait* Decalogum *non ad chriſtianos, ſed ad ſolos* Iudæos *pertinere.* De *quo inferius ſuo loco agemus.* Interim *ſatis patere arbitror quàm eleganter hoc nomen illi,* Belial, *conueniat, ut hinc pariter pateat, quàm nihil illi conueniat prorſus cum* CHRISTO, *ſcriptũ eſt enim. Quæ cõuentio* CHRI-
2. Cor. 6. STI *ad* Belial? *Illud igitur admirandum, quod in luce tam clara tam multi decipiantur, ſi modò decipiũtur. & non potius decipi cupiunt.*

De maledicentia linguæ, dicacitate, ſcurrilitate ac mordacitate.

NEc *parum addit ad rationem admirationis huius ſermo uiri ſemper durus, ſemper maledicus ac perpetuò blaſphemus, plenus deriſionibus & mordaci ſcurrilitate. Quæ quàm ſint indigna non dicam theo logo, nec dicam chriſtiano, ſed homine qui humanitatem non exuerit, relinquo uiro prudenti cogitandum. Quòd autem ea quæ in illum obiecto, ueriſſima ſint, ipſe ſua gratia in quouis opuſculorum ſuorum abundè clareq; probat. Quare non unum aut alterum cito lo cum: pleni ſunt eius libelli huiuſmodi dicacitatibus & ſcommatis, quæ non eſt recenſere opus.* Solùm *de illius blaſphemijs aliqua congeram, & ea potiſſimum quæ crudo ſtomacho in ſummũ ſacerdotem* CHRISTI Vicarium *eructauit, idq; ob eam cauſſam quòd in nulla re magis prodit ſe unam de portis inferi, quàm in hoc ipſo, quũ more* Diabolico *ſic infælix arietat in* Petrã,

ut(illæſa Petra)ſeipſum frangat et conterat. Eſt enim ſcriptum, Principi populi tui non maledices. Quamuis Exod. 22.
autem ſciam pias aures uel primo auditu horrore corripiẽdas: impias uerò, ſcilicet filiorum maledicti Cam, quaſi grato quodam ac ſuaui ſuſurro demulcẽdas, quia tamen apud non penitus irrationabilia pectora hæc recitatio plurimum ualere poteſt, & debet, ad commouendam iuſtè omnem indignationem in iſtam peſtem, ac facem orbis terrarum, cuius os aſcendit in cælum, & Pſal. 72.
lingua tranſiuit, in terra, non grauabor hoc in loco aliqua in medium proferre. Cum enim illũ ſuum inſanũ de ſeruo arbitrio defenderet articulum, in hunc modũ ipſe loquutus, ut ſapiens uideretur præ omnibus, dum ſic in liberum arbitrium pugnat: dixit enim. Hunc arti In Aſſert.
culum neceſſe eſt reuocare, Male enim dixi quòd liberum arbitrium ante gratiam eſt res de ſolo titulo, ſed ſimpliciter debui dicere, Liberum arbitrium eſt figmẽtum in rebus, et titulus ſine re, quia nulli eſt in manu ſua cogitare quidpiam boni, aut mali, ſed omnia(ut articulus Vuicleff. Conſtantiæ damnatus rectè docet) de neceſſitate abſoluta eueniunt: quod & Poëta uoluit, quando dixit. Certa ſtant omnia lege. hæc ille, his duobus tantis autoribus fretus Vuicleffo uidelicet, & poeta. Quare iure optimo, poetico ſimul & hæretico furore correptus in hunc modum, quaſi uictor, in Papam excanduit & inſilijt, Habes, inquit, miſerande Papa quid Ibidem.
hic obgannias. O conuicium uerè intempeſtiuum, & dignum ut ex hæretico pectore manaret. Miſerandũ Papam uocat, quia non blaſphemat ſicut ipſe, qui attri-

buit Deo *hominis turpia et male facta, faciens* Deum *autorem peccati,* Et *quia non inſanit ſicut ipſe, negans liberum hominis arbitrium.* Q*uod non eſt aliud quàm negare hominem eſſe hominem. Sed ad rem noſtram.* Q*uid eſt adeò dirum & contumelioſum, quod in* Rom. Pont*ificem non euomuerit? non dico hunc aut illum: ſed in quemlibet qui eam cathedram teneat, ut nō tam hominis quàm cathedræ, hoc eſt, diuini uerbi hoſtem eſſe ſeipſum declaret.* Nam *eum* Pontificem *ea ratione tantum quòd pontifex eſſet, paſsim modo Satanam, modo Antichriſtum, modo hominem peccati, modo filium perditionis, & alijs infandis nominibus traducit, quæ nihiloſecius eleganter ſibi & propriè conuenire non ignorabat.* Q*uamobrem quùm id facit, non à ſemetipſo hoc facit, ſed ſicut agitur à patre ſuo* Diabolo, *ad cuius uoluntatem & imperium tenetur, cum (ſicut dixi) non tam in hominem inſultet (quod tamen ualdè temerarium eſſet) quàm in ſedem illam, & in illam eccleſiā, quā* Dominus Ieſus *ore ſuo fundauit, ac ſpiritu ſuo ſtabiliuit, quod eſt blaſphemum.* Horreo *narrare quibus furijs agitatus, & quàm hoſtiliter adoriatur etiam ueteres & doctiſsimos & ſanctiſsimos* Pontifices. Ecce Nicolaum *primum omnium bonorum uno ore tum ſanctitatis, tum doctrinæ nomine commendatum, delirum, inſanum, immodeſtum uocat, ſine theologia ac ſacris literis, per ſolam tyrannidem uerbum* Dei *tractantem & deprauantem, quem aſſerit* Decretalem *antichriſtianā condidiſſe.* Vnde *& arrogantiæ, & impietatis, & ambitionis nomine illum taxat & criminatur, cum tamen*

fideliſsima

fideliſsima narret hiſtoria cum tanta fuiſſe humilitate ac modeſtia prædituum, ut cum eſſet ſummus Pontifex electus fugerit, & ſe in Vaticanum abdiderit, Vbi tandem deprehenſus, & ſanè conſpiciens ſe illud munus, citra Dei offenſam, non poſſe declinare, inuitus ſuſcepit. Quod poſtmodò tanta uigilantia & prudentia atque fortitudine adminiſtrauit, ut omnium teſtimonio poſteris ſuis reliquerit amabilia in omni genere uirtutum ad imitandum exempla. Et nunc exortus eſt unus Lutherus, qui tanti Pontificis gloriam ſuis blaſphemijs obſcurare poſſe exiſtimet? non conſiderans infælix, omne uituperium, quod ex procaciſsimo illo ſuo ore & blaſphemo procedit, laudem eſſe & cõmendationem. Nam & dæmones Deum, quùm eundem blaſphemant, laudant. Proinde quàm indoctè & ſtultè in illum diſputauerit iſta furia, alij Catholici & magni uiri, & nos pridem per Dei gratiam manifeſtauimus.

Nunc autem quæ aduerſus Pelagium Papam. I. ſimiliter euomuit canis hic mortuus, audeo uix commemorare: hæc enim illius ſunt in eum uerba. Vbi eſt nunc os tuum impudens, & buca blaſphema Pelagi, qui crepaſti immani ſuperbia, ſcilicet Satan per os tuum aduerſus Chriſtum in Paulo loquentem, hanc rabidam uocem euomuit. Chriſtus te & tua omnibus ſubijcit autoritate diuina, dans omnibus & loquendi & iudicandi poteſtatem: Tu uerò temeritate propria omnes ſubijcis tibi, et eleuaris ſuper omnes ſolus ſicut Lucifer, arrogans tibi ſoli ius loquendi & iudicandi. Igitur omnes Chriſtiani ius habent & officium docendi, ut rũpatur Behemoth

In lib. de abrog. Miſſæ.

cum omnibus ſquammis ſuis. hæc ille in Pontificem, CHRISTI Vicarium, & in eius primatum, ut qui argumentis rationabiliter ſuperare non poterat, conuicijs & blaſphemijs diabolicè oppugnaret: & pro ſuo more, quæ illi maximè & optimo iure conueniebant, in Papam ſumma iniuria impingeret. Nam quod os magis impudens, & quæ bucca magis blaſphema, & quæ immanior ſuperbia quàm iſta, qua ſeſe ille & ſupra Papam, et ſupra omne quod in eccleſia nominatur, extulit? Ipſe fuit qui propria autoritate omnes iudicauit, etiam Papam: & ſibi arrogauit tanquàm Lucifer, poteſtatem in cælis, ut clarè prodiderit ſe eius filium; & q̃ quæ ab eo audiuit eſt loquutus. Nam ex ea die qua anathemate percuſſus eſt, nihil chriſtiani, immò nihil humani ex eius corde & ore proceſsit. Et uide, quæſo, cuius rei gratia tanto corriperetur furore, ſcilicet ut defenderet homo peruerſus quòd omnes chriſtiani, hoc ipſo quòd ſunt chriſtiani, ius & officium habent docendi, ut rumpatur Beemoth cum omnibus ſquammis ſuis: hæc ſunt eius uerba. Quis hunc fuiſſe hominem iam putet, & non unam aliquam inferni furiam, non fabuloſam aut fictam, ſed ueram & uiuentem?

In lib. de poteſtate Pap.

Anacletum quoque Papam & martyrem, qui fuit quintus à B. Petro, temerarium, inſcium, ſcenicum, nugatorem, denique belluam nominauit, ſed quam belluã? nempe porcum.

Leonem primum, uirum illum eloquentiſsimum, doctrina plenum & ſanctitate, ambitioſum uocauit. Sanctum Iſidorum, canem. Sed conſydera cauſſam, quia ni-

mirum ab eis aſſerebatur primatus Papæ, cunctis ſemper odioſus hæreticis. Mitto alia conuicia & blaſphemias, quas in B. Thomam noſtrum euomere non eſt ueritus. hoc ſatis eſſe uolo quòd in eo libro, quem in me ſcripſit, non dubitauit aſſerere B. Thomam unam eſſe de phialis iræ Dei, quas Euangeliſta in Apoc. prophetabat uenturas. At hoc ipſi Luthero appoſitiſsimè quadrabat. Sed hoc fuit ingenium huius, quale ſolet eſſe ueteris ſcorti & procaciſsimi, ſcilicet quæ illi ſunt propria, in alios intorquere. Mitto quæ in alios Sanctos uiros iſte Dæmon effudit: nam longum eſſet cuncta recitare. Super illo loco ad Galat. ubi ait CHRISTVM *factum pro nobis maledictum, quanta blaſphemia et iniquitate inuehitur in noſtros, quos ſophiſtas appellat; quibus coniungit & B. Hieronymum, & ait non minus ſceleſte quàm impiè illum locum tractaſſe, tanquàm ſolus ipſe uiderit germanum, & apoſtolicum ſenſum, cũ quem ille tanquàm ſuum uſurpat, et unde ſemetipſum apud turbas magnificat, ſit in eccleſia Dei nunc iam uel ipſis pueris notus. Vnũ omiſeram, quod eſt à me neſcio quo in loco notatũ, ubi uolens quaſi dicere Papam, Dei Vicarium, per ludum dixit, Dei uaccarium, homo dignus corona, qui ſine blaſphemia ludere non poteſt.*

Quæ autem contra uniuerſitates doctorum eſt obloquutus, atrox eſſet ſcena recitare. Aduerſus enim Parrhiſienſes & Louanienſes ita ſcripſit. Si Parrhiſienſis Sodoma, & Louaniẽſis Gomorra, & uniuerſa Babylon Papæ ſuũ Ariſtotelẽ didiciſſent, agerẽ cum eis per definitionis locum, ſi quo modo poſſent tam craſſa capita ui De abrog. Miſſa.

dere quid differret ſacrificium & teſtamentum: ſed quia ſola multitudine raſorum ſua ſtabiliunt, nec diuinam nec humanam autoritatem ſpectantes, dimittamus aſinos mutuò ſuis ruditibus plaudere. hæc ille, & non alius à ſeipſo, qui ea (ut ſæpe dixi) quæ ſibi probè conueniunt, in alios reijcit. Ipſe eſt enim uerè qui ubique, ſed in hoc præſertim articulo, quo negat ſacrificium in nono teſtamento, & diuinam & humanā penitus autoritatem ſpernit. Argumentum uerò ſuum ex Ariſtotelicis regulis conflatum, quòd ipſe tanti æſtimat, eouſq; ineptum eſt ad probandum quod uult, ut pigeat replicare. Tractamus tamen de illo, alijsq; eius argutijs, in libello noſtro particulari de ſacramento Miſſæ. Interim ad rem redeundo, Rapior in admirationem dum recolo quanta in Germanos principes, atq; adeò in ipſum Cæſarē ſtomachosè & impunè iactauit. Vix enim erit credibile uenturis ſæculis, ſi referantur, quæ tamen uerisſima ſunt. Nam quòd omnē Dei timorē perfidia abiecerit, facilè fieri potuit à uiro qui Dei prouidentiam nō credebat. Quòd uerò nullā in terris hominis poteſtatē formidauerit, ſtupiditatis, inſenſibilitatis, aut certè furoris eſſe uidetur. Quodam ergo in loco ſcripſit Cæſarem & principes manifeſtis agere mendacijs. Alibi de ædicto Cæſaris, hō dicax ſic luſit. Cæſar é fumario aliquo hoc ædictum conflatum accepit. Alibi eundem Cæſarem ſaccum tarniorum uocat. Et ad regem Angliæ, de principibus ita ſcurriliter obloquutus, dixit. Vos principes eſtis bullæ aquarum, et lendes capitis nondū facti pediculi: Et ibidē. Apparui tertiò iam coram eis,

In epiſto. cōtra duo Cæſ. ædicta.

Denique Vuormatiam ingreſſus ſum, etiam cum ſcirē mihi uiolatam eſſe à Cæſare fidem publicam. Nam di=dicerunt Principes Germaniæ olim de fide laudatiſſi=mæ gentis, nunc in obſequium idoli Romani, nihil ma=gis quàm fidem contemnere in perpetuā nationis igno miniam. hæc ille: quæ poſtrema abſq; dubio uera ſunt, ſi loco: Idoli Romani: ſubſtituatur, Idoli Lutheri. Quia enim in obſequium Lutheri deſciuerunt Germani prin cipes ab obediētia CHRISTI, et recta fide, ſempiter=nam ſibi de fracta fide ignominiā peperere. Heu heu, hoc nimis uerū eſt. Et alibi, Poſt cōuentū Nurimbergē. ait. Non opus eſt oculis, uel aſinus hoc facile perſpiciet quàm illi cæcutiant ac ſtupidi ſint. Turpe & abſurdū eſt q; Cæſar & Rom. imperij principes ita aperte nu=gas agant: At longe turpius eſt quòd uno eodemq; tem pore contraria ædicta publicant. Adhæc. Mendaces ſunt & obſtinati principes noſtri, nec homines ratione præditi, ſed germanicæ beſtiæ. Item alibi. Princeps eſt caro ferina in cœlo, ideſt, rara auis. Oro cunctos pios chriſtianos dignentur rogare Deum pro huiuſmodi mi ſeris excæcatis principibus, quibus nos Deus proculdu biò magno iræ ſuæ furore corripuit, ne ullo pacto ob=ſequamur uel in militiam ire, uel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies probior pruden=tiorq; eſt quàm noſtri principes. Quid talibus fatuis cō tra Turcas proſpere eueniet? Hæc & alia huiuſmodi aduerſus Cæſarem, & honorabiles principes non refor midauit iſta fera beſtia effundere, ut mihi iam non ſit mirandum, ut dixi, ſed prodigium atque portentum q;

De ſeculari poteſtate.

iſte tam diu uixerit ſuper terram. Et *ideò non eſt dubitandum hoc ex diuina prouidentia contigiſſe,qui hũc ſeruauit unam ueram de phialis iræ ſuæ in ultionem peccatorum noſtrorum.*

De animo uiri ad ſeditiones nato, & ſititore humani ſanguinis.

M*Agna me profectò tenuit admiratio quùm hominis immanem crudelitatem de ſuis uerbis colligo.*Etenim *cum cæpit ab initio chriſtianam,ut ipſe aiebat,ſed ut nos agnoſcimus,*Lutheranam,*ideſt,diabolicã libertatem prædicare,ſuccendit animos plebium & ruſticorum in ſuos principes.* Vnde *& in libro quem de ruſticis compoſuit, hæc aduerſus principes obiectauit.* Diſtrictus *gladius imminet in ceruices ueſtras, & tamen putatis ita fortiter ſellæ inſidere ; ut inde facilè deijci non ualeatis.* Vos *huius iræ* Dei *cauſſa eſtis. Signa in cælo, ac miracula in terris portendunt interitũ ueſtrum ac perniciem:*Ego *uobis prædictum uelim, ne debeamus aut poßimus diutius ueſtram tyrannidẽ ferre ac deuorare.* Vos *inquam, uerbo diuino dare locum oportet.* Quòd *ſi hæc non efficient præſentes ruſtici, ab alijs certè fiet, etiam ſi omnes illi à uobis ad internicionem uſque fundantur.* Non tamen *fuſi ſunt;* Deus *in uos alios excitabit,qui uult uos perire.* Non enim *ſunt ruſtici uobis contrarij,ſed* Deus *ipſe, qui uult inuiſere tyrannidem ueſtram.* Hæc *iſte uir,quæ infauſtus & infenſus principibus pro ruſticis primùm intonabat.* Nunc *uide illum rurſus contra ruſticos pro principibus tuba clangentem(inclinare enim uidebat ruſticorũ*

aciem) & idcircò deſertor, & ad partes principũ de=clinans, in libro contra ruſticos, ita ſcripſit. Nolo prohi*bere principibus quò minus ruſticos puniant atq; fun=dant, cũ ſe prius benignos obtulerint de bono et æquo. Etiamſi euangelium non ferunt, ſuo iure facere poßũt, quoniam ruſtici non amplius pro euangelio pugnant. Quicunque ergo de ruſticorum numero ob hanc cauſ=ſan fuſus fuerit, corpore & anima in perpetuum cum Diabolo cruciandus peribit. Principes uerò cæde illa & ſanguinis effuſione æternam emereri ſalutẽ poßint, & facilius hoc pacto, quàm alij precibus & orationi=bus ſuis. Et animans quenlibet ad fundendum ſangui=nem, adiecit. Quamobrem dilecti Domini, audite, pro=pugnate, præſtate auxilium: miſeremini miſeriæ popu=lorum: Cæſim, punctimq; quilibet, qui potis eſt, feriat. Si in hac pugna oppetieris, fæliciorem interitum nun=quàm conſequi poteris. hæc iſte euangelicus eccleſia=ſtes, & hortator ad ſanguinis effuſionem. Quid hic po terat mutire ſceleratißimus & crudelißimus hominũ? An aliud poteſt hinc ſumi, niſi quòd erat uir ad ſeditio nes natus, & ſanguinis effuſionem?* Nam & *in libro quem ad Germanicam nobilitatem ſcripſit, ita inquit. Rem non eſſe in loco ſuo, prius quàm talorum tenus in cruore & ſanguine ambuletur. hæc ille, quod & penè effecit.* Nam *circiter centum quinquaginta millia ho=minum per illam ſeditionem deſiderantur, nec dum fi=nis. Nam hoc anno ob hanc Lutheranam ſectam quan=tum tumultus & detrimenti acceſſerit infælicißimæ illi prouinciæ & Italiæ, plus ſatis patet.* Nam *uide am* 1546

plius etiam ſeditionum ſemper amãtem: In libro enim de libero arbitrio ſic ait. Hos igitur tumultus uelle ſedari, nihil aliud eſt, quàm uerbum Dei tollere uelle, et prohibere. Sermo enim Dei uenit mutaturus orbem quando uenit. Et paulò poſt. Ego niſi iſtos tumultus uiderem, uerbum Dei in mundo non eſſe dicerem: nũc cum uideo, gaudeo ex animo, & contemno. hæc ille. Non opus eſſe arbitror expoſitione, ut uideas, lector, filium perditionis, qui tantoperè ſe in illis lætari fatetur, & contemnere.

De incredibili inconſtantia doctrinæ, & quòd ſemper in deteriora prolapſus ſit.

ACceßit ad hæc omnia enarrata incredibilis in ſua doctrina inconſtantia, quam tamen ipſemet ut apoſtolicam, & de Paulo ſumptam commẽdat, quia ipſe aliquando profecerat in Iudaiſmo. At ille glorioſus Apoſtolus poſtquàm conuerſus fuit, idem ſemper per=
2.Cor.1. *manſit, qui & ait. Sermo noſter non fuit in illo, Eſt, et, non, ſed, eſt in illo, eſt. Lutheri autem ſermo etiam poſtquàm conuerſus fuit, ut ille iactat, ideſt, poſtquàm cõtradixit eccleſiæ, ita paßim uaria ac pugnãtia docuit, ut ex illo multa capita fluxerint, quæ uſque in hodiernum diem ſecum certent. Colligerẽ (niſi tædium & ſuperuacaneum eſſet) plurima de ſuis libris, quæ ſecum inuicem pugnant, ut poſſet lector obſtupeſcere. Sed hoc argumentum olim in prima mea aduerſus illum conflictatione (quanquàm obiter) tractaui, & alij poſtmodo fælicius abſoluerunt. Et nihilominus nonnulla de ſuperioribus licet colligere, in quibus illum ſecum introdu*

xi pugnantem. Nec *omittam ſequenti libro,ubi de dog matibus illius agetur,multa circa hæc admonere.* Mo=*do,ſi uarie & inconſtanter dicenti prohibent humana iura fidem haberi, quantò hoc magis diuina iura, & præſertim contra aliorum probatorum ſententias atte ſtanti?* Nec *uerò putet quis hunc hominem ſic fuiſſe in cōſtantem,ut de mala opinione decedens uenerit in bo=nam:quin econtrariò potius,aut de bona in malam, aut de mala in peiorē et peßimā ſemper deſcendit,ſicut de huiuſmodi prophetauit Apoſtolus quòd proficiēt ſem= per in peius,ut, quemadmodum ſibi ipſe teſtimonium præbet, ſit præ cunctis alijs pluſquàm decies hæreti=cus.* Quod *licet de ſe ironicè & ſcurriliter ſit profa=tus,*Ego *tamen ſeriò ex ueritate,& toto cordis aſſenſu uerum eſſe audacter pronuncio.*Vnde *& hoc non mo dicam addit admirationem,quòd in iſta hæreſi homo tā uarius atque inconſtans tantum proficere potuerit.* 2.Thi.3.

De admirandis mendacijs & calumnijs.

ET *ſi ratio ſit ad derogandam homini fidem,ſicut modo diximus,inconſtantia,*At *non minor eſt ia=ctare paßim mēdacia manifeſta, & calumnias euiden=tes.*Non *hic intelligo doctrinæ mendacia,ſed quæ cir=ca ea quæ ſunt facti uerſantur, & ad oculum deprehē duntur,*V.g.Q*uū quid ita eſſe,aut ita cōtigiſſe uel af firmat uel negat, ut quùm citat hiſtorias, ſcripturas, aut quid aliud,& dicet.*Hoc*in hiſtorijs habetur;hoc di cit* Papa:*hoc decreuit conciliū : hoc ſentiunt ſcholaſti=ci:hoc docent:olim ille mos erat,& ſimilia.*Q*uem do=lum malum ad decipiēdam miſeram ſuam plebeculam,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cui non eſt in promptu rerum notitia,ego in alio primo opere ſatis detexi. Nunc *nõ tædebit aliqua,ſed quæ uidebuntur grauiora,repetere.* Primum,*ut uidimus ſuperiùs,ipſe in* Apoſtolicam *ſedem furens dixit ſummum* Pontificem *nunquàm,ne ſemel quidem,quenquàm ueritate ſuperaſſe,ſed ui ac dolis.* De *hoc autem ait ſe poſſe illum conuincere teſtibus omnibus hiſtorijs*: Nec *ullam tamen interim protulit, quia nec poterat calumniator.*Excellens *enim erat mendacium utrunque, tum ipſum dictum,tum & unde illud probari aiebat. Sciebat enim quod impudens & immane mendacium non poterat congruè,niſi immaniore atque impudentiore mendacio,defendi.* Ad *hæc* Cum Decreti,*&* Decretalium *libros comburi iuſſit, ſcripſit articulos,quibus ſacrilegij cauſſam attexuit his uerbis.* Articuli *& errores canonici iuris,propter quos meritò comburendi & uitãdi ſunt.* Primus *ex.*C.*Solitæ,de* Maior.*et obed.*

Papa & ſui non tenentur ſubiecti & obedientes præceptis Dei.

Quis *in hoc primo non agnoſcat,cuius iſte ſit filius? nempe illius qui à calumnia nomen ſibi comparauit.* Hoc *enim quod ait canonem dicere,nõ ſolùm non habetur in illo canone, quod eſſet horrendum, ſed in nullo prorſus.* Et *eſt calumnia eò uſque manifeſta ut nihil queat fingi impudentius.*

Quartus.*ex.*C. *ſignificaſti*, De *elect.*

Papam, & eius ſedem,non teneri ſubiectos eſſe Concilijs & Decretis.

Et *hæc calumnia,cum canones dicãt oppoſitum.* No

luit autem,ut locum faceret calumniæ, diſtinguere materias. Poterat enim *ſcire, ſi* Iuriſta *theologus erat(ſicut ſe iactat)quòd in rebus fidei & morum, quæ determinantur legitimè in concilijs,ipſi primùm* Pontifices, *ut* CHRISTI *oues, ſubditos illis eſſe ſententijs ſe profitentur.* Q*uæ uerò iuris poſitiui ſunt, & uarietatem à perſonis, & locis, & temporibus, alijsq; circũſtantijs accipiunt, non alligare poteſtatem* Pontificiam *rectè docent.* V*erùm obſecro te prudẽs lector,nota hic hominis non ferendam iniquitatem:*Obie*ctat in* Pontifi*ces quòd nolunt eſſe ſubiecti ſuis* Decretis, *quæ tamen ipſe* Lutherus *exurit tanquàm impia, immò tanquàm impijſſima.* Q*uid hic obganniat (ut eius uerbis utar) hominum infœliciſſimus?* Si Decreta *ſunt impijſſima, iam non eſt malum illis nolle ſubdi.* Si *uerò pia,cui debeant & ipſi* Pontifices *ſubdi, quur illa comburit* Lutherus? Et *quàm pulchrum hoc quòd uult* Lutherus Papam *ſubdi* Decretis, *quibus ipſe tamen ſubdi non uult.* Nonne *uerè dicebam hunc hominem exlegem eſſe,& uirum* Belial?

Ex *decimo* Articulo.

Sanctus Petrus unà cum S. Ioanne ab alijs Apoſtolis tanquàm ſubiectus mittebatur. Act. 8.

At ubi Act.8.*habetur quòd tanquàm ſubiectus mitteretur?* Si *id argumẽto colligebatur,ſed uano,cur,quaſi hoc habeatur in textu,narratur?niſi quia iuuat mendacem mentiri?* Q*uo in loco nota,lector, peruerſitatẽ.* Tanto *hic odio in primatum* B. Petri *excœcatur,ut nõ*

ſit illi ſatis illum non fuiſſe cæteris Apoſtolis ſuperiorem, niſi fecerit illum etiam illis ſubiectum, nec tamen omnibus, ſed ijs tantum qui erant Ieroſolimis. O amentiam ſingularem.

tQuartus decimus ex C. Translato de Conſtitu.

Chriſti ſacerdotium ab eo in Petrum eſſe tranſlatum.

Nequaquàm ſic loquitur Papa. Dicet Gloſſa ibi hoc ait. Sed gloſſa non eſt Papa, ut mereatur comburi Papa pro gloſſa: & tamen non illud dicit gloſſa, quod iſte mendaciter affert, ſed ait quòd CHRISTVS *uetus ſacerdotium in ſuum ſacerdotium tranſtulit ad ſenſum Apoſtoli, et illud Petro cõmiſit, quod nõ niſi hæreticus poteſt inficiari.*

In epiſ. ad Hebr.

Vigeſimus primus ex C. Paſtorali de ſen. & re iud.

Papa iactat ſe ſacri Rom. imperij hæredem eſſe.

Calumnia mera & ad ſeditionem conficta. Papa enim non illud iactat, ſed ait quòd uacante imperio, donec legitimus ſucceſſor appareat, ipſe interim eſt legitimus adminiſtator.

Vigeſimus tertius.

Papa docet inferiores & ſubiectos poſſe ſuis ſuperioribus inobedientes & contumaces eſſe.

Nullibi hoc Papa docet, ſed paßim oppoſitum. Si enim hoc doceret, etiam contra ſeipſum hoc faceret. Ipſe inquam, Lutherus eſt qui hoc tum uerbo, tum facto & exemplo docet.

Vigeſimus quartus.

Papa nititur habere poteſtatem conuellendi, & diſſoluendi omnia iuramenta, & fœdera, & obligationes inter ſuperiores & inferiores, & contra Deum, & ſupra Deum.

Latrat canis, & non habens quod mordeat, huc, illuc diſijcit ſeipſum. Papa enim non nititur ibi ullam habere poteſtatem, ſed abſque ullo niſu id quod habet, ſe habere pronunciat, non quidem conuellendi aut diſſoluendi uota contra & ſupra Deum, *ut hic ſycophanta calumniatur, ſed ex rationabili cauſſa diſpenſandi ſecūdum* Deum. *Quo in loco, nota prudens lector, iniquitatem hominis, qui quod ipſe fecit, in Papam impudens intorſit. Ipſe enim eſt qui ſuum iuramentum & uotum, quo ſe* Deo *& hominibus aſtrinxerat, conuulſit atq; diſſoluit. Ipſe item eſt qui iuramenta epiſcoporum, principum ac magiſtratuum, quibus erāt* CHRISTI *Vicario obligati, Diabolica autoritate ſupra & contra* Deum *fregit & diſsipauit.*

Vigeſimus ſeptimus.

Papa docet nullum poſſe ſeruire Deo maritum uel coniugem.

Hic eſt locus ubi tangitur uiuum mulorum, & æquorum hinnientium, & quibus non eſt intellectus. Sed Papa non ſolum non docet illud, quod iſte per calumniā imponit, ſed omnem qui illud doceret, anathema pronunciat. Hoc *eſt autem quod Papa, iuxta doctrinam Apoſtoli, docet, uidelicet ſacris initiatos neq; commodè neq; dignè poſſe ſimul* Deo *in altari, & in thoro cum*

iugi ſeruire, & ob iſtam gratiam ſanctos Patres inhibuiſſe nuptias iſtis: Aut ſi iam nuptijs aſtricti eſſent, ſacros ordines non concedere. Hoc ſi diſplicet iſtis effæminatis & porcis, quæ culpa eſt ſanctorum canonum?

Vigeſimus octauus.

Papa ſuas inutiles leges comparat euangeliis, & ſacræ ſcripturæ.

Ea quæ à Pontificibus per ſacras ſcripturas definita ſunt, ut attinentia ad fidem, meritò ſacris ſcripturis comparat Papa: ſuas autem leges & Decreta, non item, Quare patet mendacium & calumnia. Tædet alia commemorare, ſolùm ultimi ſui articuli uerba adijciam, ut probet lector eum & à mendacijs incepiſſe, & in mendacia proceßiſſe, & mendacijs rem clauſiſſe, Ait enim.

In his & huiuſmodi articulis, quorum innumerabiliter plu res ſunt, omnes tamen eò tendentes ut Papa ſit Deo, & omnibus hominibus ſuperior: & ipſe ſolus nemini mortalium ſubiesctus, ſed ipſi omnes, etiam Deus, & Angeli ſint ſubiecti, ut Papæ diſcipuli dicant Papam eſſe rem mirabilem, non eſſe Deum, non eſſe hominem, fortaſſis Diabolum & Satanam ipſum.

Hæc Lutherus pro cauſis, quas attulit pro combuſtione Decretaliũ. Vbi non eſt mirandũ hominem plenũ rabie & odio furere. Sed mirandum quòd homo tam apertè mendax, & ſemper pluſquàm manifeſtis calumnijs agens, potuerit cuiq; uiuentium ſuas nugas perſuadere. Mitto hic falſas ueterum Doctorum citationes & crebras, quibus uult ſua dicta defendere. Lõgum quoq; eſſet recitare quas in ſcholaſticos ſtruxit ca

lumnias, & quàm infidelis in citãdis autoribus fuerit. Quod eius uitium in alio noſtro aduerſus illum libro ei obieci: Ipſe autem cum mihi, ædito libro, reſponderet, id tamen ſubticuit. At hoc quam ob rem? niſi quia non poterat excuſare? Qua: quàm nec ad ullam noſtram obiectionem reſpondit, niſi uerò perpetuò blaſphemare, ſit reſpondere. Non ommittam quod in Auguſtana confeſſione in primis penè uerbis ipſe cum ſuis non eſt ueritus pronunciare inſigne mendacium; Dixit enim de peccato originali loquens, Hos morbos, uidel. peccati originalis, ſcholaſtici non animaduertũt, imò tribuunt humanæ naturæ integras uires ad diligendum Deum ſuper omnia, ad facienda præcepta Dei quo ad ſubſtantiam actuum. hæc ibi. Adiungunt docere ſcholaſticos charitatis habitum ideò dari, ut quod pro prijs uiribus facere poſſumus, & facilius & lubentius faciamus. Quibus mendacijs neſcio quid immanius atq; impudentius fingi poſſit, cum nobiliores ſcholaſtici & B. Tho. noſter, oppoſitnm manifeſtè doceant. Ex hoc itaq; uno lector poteſt reliqua coniectare. Nam illa confeſſio plena eſt huiuſmodi calumnioſis obiectis. Quis igitur non miretur tam euidenter mendacem inueniſſe apud homines potuiſſe ullam fidem?

De genere diſputationis hominis perpetuò cauilloſo, ſophiſtico ac fallaciarum pleno.

POterat prædictis addi, quod meritò odioſum eſt ſapientibus, & apud illos maxime fidem derogat huiuſmodi uiris, idque eſt quòd perpetuò ſophiſtam agit impudentiſſimè paralogizans. Et, (quod non admirari

ualdè non poſſum) tunc id potiſſimum agit, quùm ſe-ipſum admiratur, & ſua argumenta magnificat & ex tollit: Tunc *enim maximè peccat in elencho. Satis eſt enim illi ſi fefellerit imperitos, & ſapiens illis uideri poßit. Certè hic eſt mos hominis huius à me acuratiſ-ſimè obſeruatus; Quùm enim quid immane paradoxũ, aut etiam dogma apertè blaſphemum intendit perſua-dere, tunc mirum in modum ſophiſticatur, & cõuicijs & contumelijs, & mendacijs, & calumnijs adornat elenchum ne attendatur ineptia ratiocinantis, ſed ut quod apud doctos ratione ipſe defendere nequit, clamo ris ſaltem uaſtitate, & præſumpta ſibi apoſtolica au-toritate apud rudem, miſeram & excæcatam plebecu-lam obtineat, cui ſæpe quod eſt immanitas, uidetur fidu cia, & quod à ſpiritu blaſphemiæ proficiſcitur, uidetur à zelo domus* Dei *prouenire.* Nec *eſt difficile ſophiſti cas eius argutationes deprehendere, quibus omnes ſuos libros & diſputationes refarſit.* Nu*ſquàm enim licet ho minis uidere argumentum, quod aduerſus catholicas ueritates intendit, in quo non pateat aliquid falſum ſumptum, uel ex ſumptis perperàm concluſum.* Aut *ſi rectè, non tamen ad rem propoſitam.* Nos *autem etiam de his ſatis aduerſus illum egimus alijs diſputationi-bus, & alij* Catholici *ſimiliter. Inferius tamen, cum de illius doctrina habebitur conſyderatio, fortaßis admo-nebimus.* Ha*ctenus ex præſcriptis rectè concludere poſ ſumus, cuncta quæ ſunt* Diaboli *&* Satanæ *propria, huic uni eleganter mirificeq; conuenire.* Autor *pri-mi ſchiſmatis primus fuit in cœlis* Diabolus, *qui diui-*

ſit

ſit cœleſtes ſpiritus: Diabolus *etiam magiſterium ſibi arrogauit, aiens*. A*ſcendam in cœlum ſuper aſtra* Dei, Iſa.14. *& ſedebo in lateribus aquilonis*. Diabolus *omnium hæreticorum pater, cunctarum hæreſum faber, & illarum pertinaciſſimus defenſor*. Diabolus *omnium primus apoſtata, & aliorum ſollicitator, qui tertiam partem ſtellarum cœli ſecum traxit apoſtatricem à ſummo* Deo. *Sacrilegus eſt* Diabolus, *molitus prophanare ipſam ſanctitatem*. Exlex *eſt* Diabolus *et primus* Belial, *qui iugum* Domini *impatiens, & ſuperbia tumens excuſsit. Sititor ſanguinis, ac turbarum atque ſeditionũ concitator, nõ perſonarum affectione, ſed ipſius diſcordiæ cupiditate & ſanguinis, modo à quocunque effundatur*. Denique *maledicus, detractor, blaſphemus, cõuiciator, contumelioſus, dicax, ſcurra, inconſtãs niſi in malo, doloſus, uerſipellis, ſophiſta, mendax, calumnioſus*. Cum *ergo his omnibus pulchris titulis ſit ornatus* Diabolus, *qui illi adſunt ex proprijs, & his ſimiliter* Lutherum *egregiè præſtaſſe ex præſcriptis ſat latè pateat, quid obſecro, ad cognoſcendum illum, qualis fuerit, & qua ſit dignus fide, ulterius deſideramus?* An *experimentum aliud quærimus eius qui in eo loquitur cacodæmon, qui uiuit adhuc in eius ſcriptis?* Q*uòd ſi hæc non ſint ſatis, & uelis aliud etiã quid inſigne adiungi, ut agnoſcas ſpiritum hominis cum ſpiritu* Diaboli *conglutinatum (nihil hic fingo, nihil mentior, ſed quod ex eius teſtimonio proditum eſt, ſolummodò enuncio) audi quæſo pie* Lector, *& obſtupeſce. Scripſit* Lutherus *librum iuſti uoluminis de ſacerdotio, ſeu potius contra*

ſacrificium Miſſæ & ſacerdotium, ibi cacodæmonem in troduxit ſe excitātē à ſomno media nocte, et tanquàm in corde alloquētē & admonētē cōtra illud ſacroſanctū ſacrificium. Fatetur *& ſe uim* Dæmonis *paſſum in ea conflictatione cum illo, et præ anxietate & labore men tis, etiā emiſiſſe ſudoris guttas.* Ipſemet Lutherus *in eo libro enarrat quēadmodum nonnullas rationes protu= lit cacodæmon contra ſacrificium, quibus auditis ac pro batis, confeſtim non ualuit reſiſtere,* Dæmoni *planè con fitens ſe perſuaſum & expugnatum ab illo.* Nec *uerò putes illum rem huius cemodi quaſi apologum quendā introduxiſſe ludi gratia, ſed ut rem ueram, ſeriam, & geſtam, quam ego nec credidiſſem, niſi proprij libelli uerba meis oculis legiſſē.* Quo *in loco etiā illud adiecit, quòd ipſe &* Diabolus *ſe inuicem familiariter norunt, & quòd plus uno ſalis modio ſimul comederint.* Quid *ergo aliud experimentum quærimus, ut ſciamus de quo ſpiritu, & de qua ſapientia loquatur & diſputet homo iſte (ſi modo dignus ſit hoc nomine) in ſuis libris, qui to tus mirifica metamorphoſi euaſit in* Diabolum, *iam fa ctus illi connaturalis?* Quis *igitur non in immenſum ad miretur et ſtupeat, quòd hic habeat ſectatorem uel unū?* O Germanos, *mihi ex intimis præcordijs dilectos, quis uos faſcinauit? quis abduxit? quis adeò dementauit, ut omnis homo prudens incredibiliter admiretur (ſit uer bo uenia) imprudentiam ueſtram & leuitatem, quòd hoc tam turbido peſtilentis doctrinæ abducti uento ſi= tis, & impulſi unius ac talis uiri autoritati acqueſce re, & concedere aduerſus omnes.* S. Patres, *& omnes*

catholicas eccleſias,& ſacroſancta totius Chriſtiani orbis concilia,& robuſtiſsimam antiquæ conſuetudinis autoritatem, quæ optima ac fideliſsima debuit eſſe(ſicut & ſemper fuit)ſcripturarum interpres.Heu uos infælices. At nunquid ſic offendiſtis ut caderetis omninò à Dei benigniſsima prouidentia,adeò ut penitus deplorandi ſitis? Abſit:non enim mihi de uobis penitus omnis ſpes eſt ſublata,niſi etiã contra exploratam compertãq; ueritatem adhuc nitimini,quod eſt antiqui Satanæ proprium.Scimus adhuc bonam Germaniæ partem ſub catholica eccleſia & doctrina ſe continere.Scimus multos ui ac timore crudeliſsimæ factionis,fidem,quam gerunt in corde ueram,non audere proferre. Arbitramur & plures ſimplicitate deceptos,non malitia, qui iam nullã aliam nouerunt fidem,nec alium mundum cogitant eſſe,aut aliam eccleſiam,quàm ſuam,hoc eſt, Lutheranorum ſectam.Non enim legunt, niſi ſuorum magiſtrorũ libros mendaciorum plenos & seductitionis. Quamob rem ſi illi qui non curuauerunt genu ante Baal,magno & forti animo perſeuerarent,ſperantes in auxilio magni Dei, qui ſuſcitat mortuos,& nouit ſuos eripere de medio leonũ,deq; ore illorum, et donare uictoriam ita in paucis ſicut in multis, & hoc à Domino deprecarentur,porrigentes ſupplices manus,& non in ſuis iuſtificationibus confidentes,ſed in multitudine miſerationũ Patris clementiſsimi, equidem non ab re ſperarem & reliquum, quod ſanum eſt de Germania,conſeruari & confirmari facilè poſſe, & quod infirmum,& ab hac peſte labefactatum, magna ex parte ad priſtinã reſti-

tui ſanitatem. Quod præſtare dignetur qui potens eſt & miſericors, imò Pater *miſericordiarum &* Deus *totius conſolationis, rex regum & dominus dominantiū, cui gloria & imperium in ſæcula ſempiterna.* Amen.

Summa fructuum Lutheranæ doctrinæ.

Luc. 6. QVoniam uerò omnis arbor, iuxta doctrinã Domini, à fructibus cognoſcitur, quo iſte facilius omnibus innoteſceret, uelim cogitarent omnes quot, et quãta noſtro hoc infælici ſæculo ab hoc uno, quaſi quodam diſcordiarum Deo, & omnium ſatore zizaniorū, mala & ſcãdala in agro Domini, ac potiſſimum in inclyta Germaniæ prouincia, exorta fuerint, quibus iam ferè triginta annos laborauit, & adhuc tanquàm grauiore ac inſanabiliore morbo, utpotè diuturniore, laborat. Erat anteà terra uniuerſa labij unius. Omnes enim chriſtiani in unum conueniebamus, & unum tenentes caput circa rē fidei idem ſentiebamus, donec uenit iſte uerus Nimbroth robuſtus uenator, qui deſcendit in cãpum Sennaar, & Babylonicam captiuitatem meditans, tartareæ tubæ clangore cecinit. Venite celebremus nomen noſtrum, faciamus nobis ciuitatem & turrim de lateribus loco lapidum, & de bitumine loco cementi. Audierunt (heu) multi uocem tubæ clangentis, unde tãtus magiſtrorum prouentus apparuit, qui tamen alia
Iac. 3. parte apoſtolico præcepto cohibebantur. Fratres, inquit Iacobus Apoſtolus, nolite plures magiſtri fieri, ſciētes quoniam maius iudicium ſumitis. Ipſi autem humanæ gloriolæ cupiditate capti, Apoſtolicam uocem moleſtè audientes, ad apoſtaticam illam tubam conuerterunt

auditum. Hinc ergo, *ideſt, ab hoc uipereo flatu et nixu, noui uiperini fœtus prodierunt* Oecolampadius, Karol *ſtadius, Zvinglius,* Lambertus, Pomeranus, *Oſiander,* Melancthon, Volfangus, Baldaſſar, Pellicanus, Bucerus Caluinus, Bullingerus, Brentius, Munſterus, *et alij multi ſturmatin, qui ad huius turrim ædificationem alacriter atque unanimiter concurrerunt, aptantes nouo turris ædificio, ſuo bitumine coctos lateres, hoc eſt, homines de fece uulgi lutoſos & carnis amatores, qui conflato igne libidinum in fornace ſui fomitis, à uento* Luthe*ranæ doctrinæ accenſi per inſanam illam licentiam prætēſæ chriſtianæ libertatis, & cuiuſdam nouæ cōfictæq; fidei, qua ſola (ut aiunt) apprehēditur uita æterna, perſuaſionem, mirum in modum in libidines exarſerunt, et hoc pacto miſeri homines, quaſi lateres, concocti ſunt & obduruerunt, conflati ſimul atque aptati unanimi concordia tanquàm bitumine, ad ædificium uaſtiſsimæ turris, & ad oppugnationem ciuitatis* Dei. *Ipſi enim ſunt facti gloria magiſtrorum ſuorum, quibus grande nomen, quod appetebant, illi dederunt, niſi quod diuina animaduerſione paulò poſt ipſimet ædificatores inter ſeipſos diuiſi, uarijs linguis loqui cæperunt, ut non iam mutuò ſe intelligerent, ſed unuſquiſque illorum propria ſibi tecta condiderit, & propriam pepererit familiam.* Hinc *illa Sacramentariorum perfidiſsima ſecta: hinc alia* Catabaptiſt*arum obſcæna & truculēntæ: hinc media illa* Eleutherobaptiſt*arum: hinc Sabbatiani, qui* Iudaiſmum *repetiuerunt: hinc* Libertini; *& aliæ deniique plures infandæ hæreſes, unde tanta confuſio &*

colluuies orta eſt, ut uix ſit ullus eorum qui quid credat, aut credi oporteat, certò norit. Qui enim poſſunt diſcipuli certum tenere, cum ipſi magiſtri modo unum, modo aliud ſapiant, & doceant, atque inter ſe pugnēt mō hac, modo illac fluctuantes? quia ſemel aberrarunt à uerò, nec tenēt caput. Quæ res quàm ſit manifeſta, ipſi declarant, qui adhuc libellis inuicem ſeſe laceſcunt, ut Luthero *non id negocij tantum fuerit, ut pugnaret cū matre ſua eccleſia quam deriſit, ſed etiam cum filijs ſuis, à quibus & ipſe meritò deridetur.* Legi *enim librum neſcio cuius* Zvinghliani *qui non ineleganter in* Lutherum *inſultat, & ex parte illum oſtentat.* Talis *eſt alius* Caluini *in* Libertinos *libellus.* O *quàm pulchrè per* Samſonis *uulpes hos nobis ſcriptura ſignificauit, quæ cū habeāt colligatas caudas, igne ad incēdēdas* Philiſtinorum *ſegetes ſuppoſito, uultus tamen non ita.* Congrua *profectò parabola, ut intelligas hæreticos omnes ſimul ad deſtructionem quidem bonorum fructuū unanimiter conuenire, ſecum uerò in doctrina minime conuenire; ſed quenlibet quò ipſum ſuus dirigit ſpiritus & impellit, ferri præcipitem igne ad caudam urgente. Quantam, bone* Deus, *iſti nobis ſuppeditarunt & quàm uberem materiam de eorum inconſtantia, incertitudine & confuſione doctrinarum, ut nec unus ſaltem ex illis ſecum conſtet, niſi quòd omnes aduerſus hanc unam eccleſiam coniuraſſe uidentur, & ideò quæ in* Lutherum *dico, in omnes dico.* Hoc *enim apud illos omnes iam firmum eſt, ut cuncti ſolam fidem extollant, & illi ſoli acceptam referant perfectam ſalutem per*

Iudic. 15.

imputatam CHRISTI *iuſtitiam,de qua etiam in ſua iniuſtitia gloriantur;ſanctificent ſacrilegia per connubia monachorum & ſacerdotum;cuncti ſacerdotium et ſacrificium in eccleſia* Dei *eſſe negent, & eccleſiaſticã hierarchiam;cũcti, apoſtolicis traditionibus contẽptis, & à ſanctis* Patribus *introductis ritibus eccleſiarum, nouos pro libidine introducant.*Hinc, *ideſt ab ipſo* Luthero *præeunte & tanquàm clamitante,* Exemplũ *ego dedi uobis,ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis,prodierunt turbæ monachorum qui habitum exuerunt, & agmina ſacerdotum hinnientium ad nuptias, & plauſtra monialium,cum quibus illi ſacrilegi, conciliatore* Diabolo *& paranympho,nefandiſſima contraxere connubia.*Hinc,*ideſt,à* Lutherana *doctrina ad diuidendas domos,& excitanda odia ciuilia,contra uerba* Domini,*irrupit infanda diuortiorum licentia ad inſtar* Recutitorum.*Hinc uxorum pluralitas,ad rixas domeſticas prouocandas,* Certè *dogma* Mahumetiſticum *& inimicum chriſtianæ fidei,ſicut teſtatur* Innocẽtius Tertius.*Hinc inceſtuoſæ nuptiæ: deniq; quicquid fauoris in carnis libidinem excogitari poteſt infandum & innaturale,in hac doctrina tanquàm euangelicum defenditur.* Hinc,*ideſt,ab ipſo* Luthero,*excitatus eſt uetus ille furor Satanicus* Iconoclaſtarũ,*qui ſacras* Domini *noſtri* IESV CHRISTI,*ſanctiſſimæ eius* Matris, *et aliorũ Sanctorum imagines et uenerandas reliquias (gratum certe* Lucifero *ſpectaculum)fregerunt, combuſſerunt,indigniſſimiſq; modis, & memoratu horribilibus lacerarunt & cõſpurcarunt,idq; ſub falſo idolola*

*triæ & iam per ſacroſanctas ſynodos reprobato præ= textu.*Hinc,*ideſt,ab eodem fonte* Luthero, *exorta eſt illa tam famoſa & miſeranda ruſticorum ſeditio aduer ſus nobiles et principes, unde atrociſsimæ ac numeroſæ clades ſunt inſecutæ.* Nam *ille ad ſeditionem natus & chriſtiani ſanguinis effuſionem, chriſtianam libertatem primùm prædicans, huc torſit ſcripturas ut diceret, ſe cundnm* Chriſti *euangelium omnes homines eſſe pote= ſtate pares, cũ legamus apud* Paulum. In CHRISTO IESV *nõ eſt ſeruus aut liber, non eſt mas aut fæmina.* Tum *per hanc prædicationem ſollicitauit idiotas & agreſtes, quos contra potentiores mirificè irritauit & excitauit ad arma, unde tantus cruor humanus, ut iam diximus, effuſus eſt.* Mitto *quæ per huius hominis do= ctrinam factæ ſunt tot expoliationes templorum, ſacel lorum, altarium, & direptiones eccleſiaſticorum bono rum & latrocinia, & inuaſiones oppidorum & alie= narum iurisditionum.* Illud *quod eſt omnium horribiliſ ſimum (ut illos nihil reliquiſſe ad exercendam uniuer= ſam impietatem declarem,) memorabo, quòd ne ab ipſo quidem ſacratiſsimo* CHRISTI *corpore ſcelero= ſas manus abſtinuerunt.* O *rarum diuinæ patientiæ & longanimitatis exemplum.* O *diuini iudicij horribilem ac tremendam expectationem.* Hic *oportet præſcindi uerba &* Selà Pſalmigraphi *interponi, ut lector cogi= tet & animaduertat, & ſuſpiret, & oret dari capiti ſuo aquam, & oculis ſuis fontem lachrimarum.* Hæc *uerò cuncta uni* Luthero *primùm accepta eſſe ferenda nemo ignorat, ut perquàm dignè ualeam exclamare,* O

inſenſati Germani qui fieri potuit ut alienati à catholi ca ſanaq; doctrina, qua eratis ab initio à matre ueſtra imbuti, & creueratis cum illa, tam citò & tanta leuita te trãſlati ſitis in hoc tam ignobile, tamq; noxiũ euãge liũ, ut obedieritis uiro tã truci, tam crudeli, tam imma ni, tã impio, & tantorum turbinum, tempeſtatum, & ca lamitatum autori? Dicite mihi *ſi quid ſapitis ſecundũ hominem, quid lucrati eſtis boni uel apparentis?* Pre*fectò nihil: quoniam ab ea die qua hanc hæreſim recepi ſtis, cuncta ueſtra in peius ceſſerunt uobis.* Dicetis *forſi tan,* Temporalia *non curamus, ſatis lucrati ſumus ſecun dum* Deum, *quòd regnum æternum ex ſola fide nos conſequuturos ſperamus, & iam certi ſumus noſtræ ſa lutis, quia eam firmiter credimus, & iam apprehendi mus.* Sed *quid ſi hac ſpe fruſtremini?* Et *hæc tam fir ma certitudo, infirmißima ſit & phantaſtica, utpotè ſuggeſtione diabolica perſuaſa, & non à firmo uerita tis ore?* O *miſeros & miſerabiles, qui animas ueſtras creditis, non uerbo* Domini, *ſed uerbo unius hominis tã peruerſi, tam mendacis, tam inconſtantis, & qui ad diſ ſipandum & perdendum, mactandumq; natus uideri poteſt.* Quomodo *ibi poteſt uera eſſe religio, ubi uiget tanta diſſenſio?* Vbi *omnis inconſtantia, nulla ibi pax, nulla quies.* O *miſeros qui à tanta gloria, quantam inter cæteras nationes obtinebatis, tam infæliciter excidiſtis.* Hem *quò iam eſtis præcipitati, qui eratis aliquando terror orbis terrarum, nunc autem quæ per hanc im manißimam feram exortæ ſunt inter uos de religione, & dominijs, & patrimonijs diſcordiæ, periculum uo-*

In præfat. de proponendis in concilio a ſuis.

bis etiam de ignobili aliqua ſeruitute minantur. Nam *uel ipſo horum tantorum malorum autore* Luthero *te ſte (utar enim illius uerbis in mea quærela)* Diſcordia, *inquit,*Principum,*ac Statuum uſura,ſicut diluuiũ quod dam inundauerũt,procacitas, impudicitia,ſuperbia in ueſtitù,comeſſatione, ludo, pompa cum omnifaria ini= quitate & malitia,ac inobediẽtia ſubditorum,familiæ, operariorum quorumlibet, artificum ruſticorumq; ni= mia in rerum pretijs exactione uſq; adeò inualuerunt, ut ne decem concilijs,& uiginti* Dietis *imperialibus in rectum modum ac formam reſtitui queant. hæc ille,& uerè,ſed non fatetur ſe ōmnium malorum horum auto rem.* Quare *dicam iterum clarius (utinam non diuino & prophetico ſpiritu) quid iniurij eſſet ſi in turpiſſi= mam* Turcarum *ſeruitutem incideretis,qui inſanam li= bertatem quærentes,* Dei *ſeruitium à ueſtris ceruici= bus contumaciter excuſiſtis,*Memẽtote*,quæſo,* Orienta *lium eccleſiarum:*Mementote Græcarum*, &* Aphrica *narum, & ueram cauſſam excidij illarum mecum reco gnoſcite:*Et *quarum facta imitamini,earum tandem exi tus perhorreſcite.*Quanquàm *& quod iam patimini, lõgè deterius eſt omni* Turcarum *iugo, qui ſeruitis li= bidinibus,mundo,&* Diabolo*, & ueſtris ſpurcitijs iam ipſos* Turcas *ſuperare cõtenditis.*Quid *enim pium, ca ſtum,ſobrium retinetis eorum,quæ olim in eccleſia ſan cta conſtituti didiciſtis,& cuſtodiebatis?* Nã *nihil nunc eſt apud uos ōbedientiæ, nihil obſeruantiæ, nihil ieiu= niorum,abſtinentiæ, ciborum delectus, qui in omni ho= minum ſtatu ſemper fuit etiam in* Paradiſo *delitiarũ,*

in quo primi homines collocati erant, & quoniam ab eo mandato deſciuerunt, corruit unà cum illis genus omne hominum. Celebrat eccleſia ſancta, ut glorioſos martyres, illos ſeptem fratres Machabæos unà cũ matre eorum fortiſſima, qui ne legem Dei de cibis præuaricarentur, ingentibus expoſiti cruciatibus animã Deo reddiderunt. Sacrificium nunc uobis putet. Sacerdotij ordo, ſine quo contineri nequit eccleſia, uobis deperijt. Suffragia pro defunctis deridentur apud uos & ſubſannantur. Et interim, o miſeri, abſque auxilio cruciantur oſſa ueſtra, & carnes ueſtræ. Sacramenta ſalutis noſtræ ſunt uobis partim repudiata, partim uerò etiam prophanata. Contritio deriſa, confeſſio profligata, neglecta ſatisfactio, dies feſti abrogati. Silent in choris diuinæ laudes: ſtatæ preces & horæ exploſæ ſunt à uobis atque ſublatæ. Vota monaſtica, & quæuis alia, diſſoluta: exactæ cerimoniæ. Denique per hunc doctorem quicquid ad pietatem & religionis decorum faciebat & diuinum cultum promouendum, à uobis ſpretum, imò reiectum ac reprobatum eſt quaſi quoddam abominabile & immundum, Cum tamen hæc omnia à s. Patribus tradita, ab ipſis eccleſiæ incunabulis ad hunc uſque diem ſemper ſanctè & illibatè cuſtodita, in omnibus catholicis permanſerint, quod ſuis locis abundè probabitur. Hoc uerò ſolum, ideſt, antiquiſſimus omniũ eccleſiarum mos, debebat uobis eſſe tutiſſmus portus & arx contra ignea nequiſſimi Satanæ tæla, ad oppugnãdum catholicas ueritates inſtructa. Hoc erat uerè ſapiẽtium ſecundum Deum, ſcilicet manere intra fines à pa

*tribus ueſtris uobis præſcriptos, & non tranſgredi il=
los, niſi fortè arbitramini nouos iſtos ueſtros magiſtros
eſſe ſolos ſapientes, & cum illis natam ſapientiam, &
cum eiſdem morituram, qui tamen interim matrem ſuã
contemnunt, abijciẽtes eius diſciplinam à ſe, Vnde iuſtiſ
ſima indignatione illa conqueritur, aiens in perſona af*
Iob.30. *flicti* Iob. *Derident me iuniores tempore. Sed, obſecro
uos, horũ loco quæ abieciſtis, quænam ut religioſa, admi
ſiſtis & recepiſtis? O me miſerum qui uos diligo, et ſa
nè perſpicio ea uos ab hoc magiſtro imbutos doctrina,
ut nihil ſit adeò turpe & inter* Iudaicas & *Mahume
ticas impuritates ac ſpurcitias, nihil adeò immundum
& obſcænum, quod non in uos per hunc ueſtrum do=
ctorem traieceritis, tanquàm religioſum & ſanctum.*
Certè *hoc præſtatis* Turcis *quòd cum illi, licet ſuper=
ſtitioſè, abſtemij ſint, uos uino & omni quod inebriare
poteſt, religioſè (ſi* Deo *placet) madetis, & quod eſt ſu=
per omne ſcelus, omnia hæc ſub prætextu doctrinæ pu
ræ & euangelii* CHRISTI. *Hi ſunt tandẽ ueſtri do=
ctoris fructus, qui omnẽ de grege* Epicuri *porcũ obſce
nitate; omnẽ atheon & ex legem perfidia & immanita
te; omnem denique* Luciferi *filium temeritate ſuperat
& arrogantia.* Hic *eſt qui uenenum manifeſtum propi
nauit, & uos etiam cum gaudio recipitis.* Olim, *ut le=
gimus, multi populi ab hæreticis ſeducti ſunt, ſed ab
his qui ueniebant in ueſtimentis ouium.* At *hic ue=
ſter in facie lupi, & uiperæ, & leonis, & rabidi canis,
& iam deprehenſæ uulpis ueſtro ſanguini inſidiatur,*
Et *uos ueſtra ſponte præbetis illi iugulum.* O *Germa=*

ni cum hæc hiſtoria peruenerit ad aures nationum,& poſteritatem, quodnam iudicium de uobis facturos eos qui aliquid ſapient, exiſtimabitis? qui hoc ſolo nomine uos apprehendent, quo iam ab omni populo diſgregamini: Lutherani enim nunc uocamini, Chriſtianum in Lutheranum nomen cõmutaſtis. O lucrum, O laudem, O gloriam Germanorum. Cur in hãc cogitationem aliquando non aſcenditis, ut tandem erui ex tanta ignominia,& in germanum quondam ſplendorem, cum ueſtro maximo honore, redire ualeatis? cum (ut habet prouerbium) longè melius ſit aliquando quàm nunquàm. Deus & Pater Domini noſtri IESV CHRISTI dignetur uos eripere à laqueis Diaboli, quibus detinemini ad ipſius uoluntatem & imperium, ut poſſitis ſemel canere, Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo uenantium: Laqueus contritus eſt & nos liberati ſumus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

AMEN.

DE CONSIDERATIONE PRÆSENTIVM TEMPORVM AD LIBRVM SECVNDVM PRÆFATIO.

QVANQVAM *quæ de homine, ſuo ipſius oris teſtimonio, in medium protulimus, ſatis arbitror indicare doctrinam; quoniam malus homo de malo theſauro ſuo proferre niſi mala non poteſt, recitabo tamen ſingillatim articulos ſuos multos, ut agnoſcat oculatus lector, aut qui noluerit excæcare ſeipſum, nullum ueterum nobilium hæreticorum fuiſſe, qui ab hoc uno longè non fuerit ſuperatus, ſiue numerum, ſiue immanitatem, ſiue perniciem deputare uoluerimus. Quiuis enim tam multorum eius articulorum iugulum petit, & uitam: quoniam uniuerſam fidem labefactat & conuellit. Quare proteſtor me non tam diſputationem parare aduerſus illius adeò peruerſa dogmata, quàm execrationem. Egóne diſceptare uellem de eouſque claris ac definitis in omni eccleſia catholica articulis? ut quod eſt certum, uertatur ipſa diſputatione apud rudes plebes in dubium? Quid enim quæro? an prodere hæreticum hominem & confutare? illumne qui tam immania paradoxa proponens, nullo magis*

quàm ſuo ipſius ſermone proditus eſt? quæ ſolummodò recitaſſe, apud pium & prudentem lectorem eſt pariter confutaſſe. Nam *argumenta, quibus illa ſua nefanda themata ſtatuere nititur, adeò ſua infirmitate claudicant & labaſcunt, ut ferè quiuis puer uidere poßit.* Temperabo *tamen ſermonem propter infirmos, ut non prætercam ea quæ afferunt lucem ueritati, & expellunt quemuis falſi obiectum colorem ad decipiendum, ſicubi fortaſſe lector minus peritus, & in ſcripturis non admodum aſſuetus, hallucinari poſſet: præſertim cum audiam quoſdam qui domeſtici eſſe, & adhuc in ouili manere uidentur, qui tametſi non ſint tam perfrictæ frontis, ut negent* Lutherum *eiuſque ſectatores aberraſſe in multis, in nonnullis tamen autumant poſſe defendi.* Quo *circà non grauabor inter enarrandum dogmata, illorũ praua obiter argumenta grauioraq́; opponere, quibus eorũ falſitas & fallacia demonſtretur, quæ nec eos latuit, quod & meo periculo dictum uolo.* Neque *enim uideo* Lutherum, Bucerum, *& alios quàm plures eius ſectæ defenſores, ita eſſe ſtupidos ut non noſcant ueritatem. Sed iam hac atroci ſententia damnati ut non poßint agnoſcere, in ſolatium capiunt miſeris plebeculis imponere, & carnalium ſectatoribus.*

De prouidentia Dei in regno CHRISTI, quod eſt eccleſia, per inſtitutionem ſummi Hierarchæ.

ET *ſi cùm ad uniuerſa quæ* Lutherus *docet, attendo, minime dubitem ipſum nullam penitus de diui-*

na prouidentia habere fidem, in nullo tamen ſuo dogmate magis hoc mihi ipſe probat, quàm in eo quod paſſim inculcat, dum negat eſſe in terris unum paſtorem ac ſacerdotem à Domino IESV CHRISTO *conſtitutum ſui loco*. Nam *hoc admittere, nihil aliud eſt quàm uniuerſum hierarchicum ordinem deſtruere, & unitatem ſcindere, & totum corpus* CHRISTI *disijcere ac diſſipare*. Hoc *autē quid aliud eſt quàm diuinam prouidentiam non agnoſcere, & ita* CHRISTVM *et eius uerbum penitus, & reuera pernegare? Quapropter* B. *Thomas eleganter pronunciauit*. Non *poteſt, inquit, dicere ſe Chriſtianum, qui dicit ſe non ſubeſſe ſub cura uniuerſalis paſtoris*, et D. *Gregorius*. Pecc*atū paganitatis incurrit quisquis, dum Chriſtianum ſe aſſerit, ſedi* A*poſtolicæ obedire contemnit*. B. *etiam* Hie*ronymus in* Lu*ciferianos, eccleſiæ ſalutem in ſummi ſacerdotis dignitate ac ueneratione conſiſtere, uerißima & expeditißima ſententia docet*. V*nde &* B. *Leo pontifex de hac* A*poſtolica ſede loquens, confidenter teſtatur*, Q*uisquis principatum ei exiſtimat denegandum, illius quidē nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum in inferna demergit*. Item D. *Cyprianus hanc eſſe primam perfectamq; omnium hæreſum cauſſam conteſtatur, quia unus in eccleſia, ait, ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex uice* CHRISTI *non cogitatur, cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas uniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum collegium quicq; moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium*

B. Tho. in Ioan.

Cyp. epiſtola. 3.

gium,poſt coepiſcoporũ conſenſum,iudicem ſe,non iam epiſcopi,ſed Dei *faceret:nemo diſſidio unitatis,* CHRISTI *eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumidus ſeorſim foris nouam hæreſim conderet,niſi eſt ita aliquis ſacrilegæ mentis perfidæq; temeritatis ut putet ſine* Dei *iudicio fieri ſacerdotem. hæc glorioſus* Mar*tyr & doctor. Sunt & alia ſanctorum* Patrum *innumerabilia teſtimonia,ut illius* Irenæi *qui in li. 3. cap. 3. contra hæreticos pro ſede illa,à qua omnes hæretici ſuam referunt damnationem,ſic ait.* Maximæ *& antiquiſſimæ & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duobus* Apoſtolis Petro *&* Paulo Romæ *fundatæ & conſtitutæ eccleſiæ,eam quam habet ab* Apoſtolis *traditionem, et annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones epiſcoporum peruenientem uſq; ad nos,indicantes, confundimus omnes eos qui quoquomodo uel per ſui placentiam malam, uel uanam gloriam, uel cæcitatem & malam ſententiam.preterquàm oportet, colligunt.* Ad *hanc enim eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire eccleſiam,hoc eſt, eos qui ſunt undiq; fideles.*Ego *ne igitur contra hæc fidei noſtræ fundamenta,hæretici illius cauillos, quibus* Papæ *impugnat principatum,recitabo & confutare ſtudebo?* Certè *id* Satanæ *placeret: quoniã huiuſmodi diſceptationibus nihil aliud agitur, niſi quòd apud infirmos, quæ ſunt firmiſſima redduntur infirma,& quæ ſunt clariſſima,tenebris offuſcãtur.*Hoc *uerò quod aſſerimus, ut fidei noſtræ principium recipiendum eſt,nec eſt ullius ſcientiæ probare ſua principia:*Quæ *aũt fidei ſunt*

Ireneus

ipſa ſatis, non excæcatis mente, ſe aſſerunt: qui enim il la non credunt, reuera iam nihil credunt. Robuſtiſsi= *mum uerò eſt quod* CHRISTI *uoce:* Petræ*: nomi ne ſignificatum eſt, in quam qui arietant, non illam, ſed ſemetipſos contundunt atq; comminuunt. Quid eſt enim, obſecro, negare hanc* Ro. *ſedem, hanc apoſtoli= cam eccleſiam, & eius paſtorem uocare* Antichriſtum, *niſi uniuerſam damnare eccleſiam tantis ſæculis in hac perſuaſione firmatam, & omnes ſummos* Pontifi= *ces, & omnes chriſtianos principes, &* Cæſares, *& chri ſtianiſsimos et catholicos reges* Franciæ, Hyſpaniæ, An gliæ, Poloniæ, *& reliquorum regnorum, qui ſub hoc ca pite ſuam religionem ac fidem profeſsi ſunt?* Ac *ſimul tot ſanctos uiros uita & doctrina, imò ſignis ac prodi= gijs clariſsimos denigrare, & (ut ita dicam) degra= dare: & econuersò probare & reſtituere in honorem et gloriam cunctos, quos uniuerſa eccleſia ſemper dam nauit, & ut anathemata oſtentauit in contumeliam & pœnam?* Egóne *igitur ut hæc defendam, quæ homnini chriſtiano debent eſſe principia, laborabo et diſputabo, ut unum amplius uerbum adijciam?* Non *faciam. Aliud eſt ſi de paſtorum abuſibus ſit quæſtio: hos enim ego nunquàm defendi, nec defenſurus ſum.* Noui *ſepa= rare abuſus à poteſtate.* Poteſtas *enim* Dei *eſt, & ideò ſacroſancta.* Abuſus *autem noſtri, ideò per iſtos illa non aufertur. Qui autem de his accuſationem in= ſtituunt, uideant quomodo id agant, ne illis uerè*
Io. 8. *obijci poſsit. Qui ueſtrum ſine peccato eſt, primus la=*
1 Cor. 14. *pidem mittat.* Deniq; *illud* Apoſtoli. *Omnia honeſtè*

& ſecundum ordinem fiant. Eſt *enim ordo præſtitutus à* Deo, *qui nullo pacto peruerti debet.* Hæc *ſi ſeruarentur ab hisquibus diſplicent eccleſiaſtici abuſus, procul dubiò probaret* Dominus *illorum zelũ, quòd eſſet ſanctum deſiderium, & ſecundum ſcientiam & charitatẽ, quæ non agit perperàm. & ita longè plures parerent fructus, quàm latrando. Sed ad rem.* Nolo *hic neſcire lectorem, hunc hominẽ hunc inquã* Lutherum, *ab initiũ cũ nondum eſſet factus Satan &* Diabolus, *hanc prouidentiam admirabilem in ſua catolica eccleſia et agnouiſſe, et uerbis nõ ineleganter expreßiſſe, ait enim. Gratias ago* CHRISTO *quòd hanc unam eccleſiam (de* Rom. *loquebatur) in terris ita ſeruat ingenti, quòd ſolum probare poßit fidem noſtram eſſe ueram, miraculo, ut nunquàm à uera fide ullo ſuo* Decreto *receſſerit; nec tot barathris peßimorum morum Diabolus tantum efficere potuit, ut penes hanc non maneret ab origine ſua, canonicorum* Bibliæ *librorum, & ecclisiaſticorum* Patrum *interpretum autoritas, & autoritatis ſincera profeßio. hæc ille olim. Similiter & de ipſius ſummi pontificis poteſtate & autoritate nonnulla prudenter docuit, ut cum dixit. Autoritati Papali in omnibus cum reuerentia cædendum eſt. Qui enim poteſtati reſiſtit,* Dei *ordinationi reſtit. et alibi in Act. Auguſten. Ego inquit* F. *Martinus Luther proteſtor me colere & ſequi ſanctam* Rom. *eccleſiam in omnibus dictis & factis, præteritis, præſentibus, et futuris: quòd ſi quid cõtra, uel aliter dictũ fuerit, uel fuit, pro nõ dicto haberi uolo. hæc ille,* Et *aduerſus* Pighardos *in* Reſolu

Ad magiſtrum ſac. Pal.

In reſolu. concluſione .69.

ti. ſuper propoſ.30. Hæc, *inquit, cõmemoro, ne pighardi noſtri uicini hæretici, infelix populus fœtore Romano gaudeant, ſicut Phariſeus ſuper publicanũ, non autẽ cõpatitur:* Ne *inq̃ illi crederent neſcire noſtra uitia & labes, et in immẽſum aduerſus noſtras miſerias ſuperbirẽt, ſi nos iſta tacere et approbare uideremur. Scimus, heu, noſtrum caſum, & dolemus;* Non *autem, ſicut hæretici, fugimus, & tranſimus ſemiuiuum relictum, tanquàm alienis peccatis pollui timeamus.* Illi *fugiunt à malis chriſtianis, & repunt ad ſeipſos in angulum.* O *blaſphematores* Dei, *& proditores* CHRISTI. *Si* CHRISTVS *feciſſet ſicut nos facitis, quis unquàm ſaluatus fuiſſet? hæc* Lutherus. Et *alibi in ſerm. de exco. ſic ait.* Poteſtas eccleſiæ *poteſtas eſt* CHRISTI, *licet plerunque pro peccatis noſtris tradatur* Pilatis, Herodibus, Annis, Caiphis, *uiolentiſsimisq́; alijs tyrannis.* Noſtrum *tamen eſt eam ſemper ſummis ſtudijs reuereri & colere exemplo* CHRISTI, *qui ſic* Caipham *et* Pilatum *honorauit.* Ideò *nec indigniſsimæ eiuſdem abuſiones debent nos permouere, quin quicquid ipſi fecerint, hilariter feramus, aut ſaltem cum reuerentia declinemus: nam tempus noſtrum periculoſiſsimum eſt, ideò prudentiſsimè oportet nos agere, hæc* Lutherus *olim.* At *paulò poſt quantum mutatus ab illo? qui ſeipſum ſceleratè ſegregans ab eccleſia, nihil adeò ſanctum & religioſum dici poteſt, quod non conculcauerit, nihil contrà tam fœdum & iniurioſum reliquit, quod uiperea illa lingua non effuderit, non ſolùm in ſummũ* Põtificem, *uerum etiam in illam ſedem, quam* Dominus

ſuo uerbo (rumpantur portæ inferi) conſtituit & ſolidauit. De qua re ſuperiori libro ſatis iã diximus. Quid ergo eſt quod uelim hoc primo articulo cõcluſum eſſe? niſi quòd ipſe à quouis homine orthodoxo et catholico omninò cenſendus eſt perfidus, ut qui apertè prouidentiam diuinam neget erga eccleſiam CHRISTI ſponſam dilectiſsimam?

De alijs eccleſijs ab eccleſia Rom. diſſidentibus.

Conſequens erat, ut qui negauerat Rom. eccleſiæ principatum, & illam inſuper ſchiſmaticiſsimã uocauerat, ſimul omnes alias damnaret, quæ illam uenerabiliter ſuſceperunt in omni ſæculo, & quæ nunc etiam ſuſcipiunt, & manent in communione chriſtianorum ſub illa, ſicut ſunt Italorum, Gallorum, Hyſpanorum eccleſiæ & reliquæ Germanorum, & Poloniæ, & quæcunq; aliæ non defecerunt ab ea. Omnes uerò alias eccleſias, quæ à Romana diſsidio receſſerunt, uocaret catholiciſsimas & chriſtianiſsimas, ut Græcarũ et Bohemarum, id quod impudentiſsimè facit. Tantum ualet uiri huius hæretica autoritas. Nã quùm dixiſſet aliquando Lutherus, id quod ueriſsimum erat, Bohemorum à Rom. eccleſia diſsidium nulla poteſt excuſatione defendi quin ſit impium, & CHRISTI omnibus legibus contrarium, quia contra charitatem, in qua omnes leges ſummantur, perſtat. Poſtmodo ſententiam pro more ſuo mutans, dixit. Non ſunt hæretici, neque ſchiſmatici Bohemi, aut Græci quòd euangelio nituntur, Sed uos Romani eſtis hæretici & impij ſchiſmatici. Hoc autem aſſerto, ſi quid peruerſius, aut arrogantius, uel etiã

dementius cogitari poſsit, alij uiderint: ego certè non uideo. An non hoc euidenter peruerſum eſt, quòd quæ ab alijs deficiunt eccleſiæ, & ſegregant ſemetipſas inducentes nouas & peregrinas doctrinas, illæ ſanctæ et catholicæ dicantur: illæ uerò quæ remanent in antiqua fide et traditionibus.s. Patrum *(à quibus fit diſceſsio) dicantur ſchiſmaticæ? Quis mihi dabit ut capiãt plebes quæ dico, & diſcernãt radicem à ramis, ut ramos qui ſeſe à radice ſuccindunt, agnoſcant nõ poſſe in uita per*
Rom. 11. *manere?* Non *enim, ut Apoſtolus ait, ramus radicem portat, ſed radix ramum. Cape hæc, lector, ſi quæris ueritatem, & quieſces.*

De autoritate conciliorum.

Q*Vamuis etiam de concilijs uariè ſit & inconſtãter loquutus iſte homo, ut aliquando uideretur approbare concilia, eò quòd ad concilium prouocaret: Quia tamen nihil magis metuebat, expreſsè omnẽ concilijs autoritatem, ut iam uidimus ab initio, derogauit.* Non *enim erat adeò ſtupidus, ut non ſentiret ſe aduerſus concilia dogmatizare. Aliquando laudauit antiqua concilia: quæ autem recentiora à trecentis annis celebrata ſunt, damnauit.* In *quo inſaniam illam ſuam cum perfidia coniunctam oſtendit. Si enim certam Spiritus ſancti aſsiſtentiam in concilijs confitetur, iuxta* Domi*ni promiſsionem, profectò non minoris erunt autoritatis poſteriora prioribus. Sin autem aſsiſtentiam illã Spiritus ſancti negat, ut certè negat, nec priora erũt abſq; formidine recipienda.* Dixit *enim, ut iam attulimus, ꝗ uult eſſe liber ab autoritate cuiuslibet concilij, ita ut in*

ſuo ſerm. ad illa uerba, Attendite à falſ. proph. dixe-rit. Sæpe nullus uir in concilio eſt, qui diuinum ſpiritũ uel modicum olfecerit, ſicut contigit in Niceno *conci-lio, ubi de uxoribus agebatur. Hæc ille contra ipſam ſan ctiſſimam ſynodum, quam omnes* S. Patres, *& orthodo xi, ſuſceperunt, & uenerati ſunt ſemper.* Verùm *nota malignitatem.* Erat *in eo concilio (ut teſtatur quædam hiſtoria) quæſtio de nuptijs ſacerdotum, & pluribus ui debatur ut omninò prohiberētur.* Hoc non *placuiſſe* Paphnutio *quidam memoriæ prodiderunt, qui & ob-tinuit ſua autoritate, ut nec illud ibi ſtatueretur.* Hinc *plura falsò ac prophanè colligit* Lutherus, *ut & conci liorum eneruet autoritatem, & ſuum unà ſacrilegium nuptiarum defendat.* Dicit *enim, idq́; ſæpenumerò plu ribus in locis in ſuis blaſphemis axiomatis aduerſus cõ ciliorum autoritatem inculcat, quòd unus* Paphnutius *prælatus eſt uniuerſo illi concilio: quia de nuptiis ſacer dotum melius ſenſit.* Vide *dolum:* Erat *illa res tunc nõ determinata nec concluſa, ſed in conſultatione ac deli-beratione.* Si *enim iam fuiſſet determinata in concilio,* Paphnutius *homo chriſtianus & ſanctus, nunquàm con cilio ſe oppoſuiſſet, nec, ſi id feciſſet, preualuiſſet: ſicut nullus chriſtianus poſtquàm hoc determinatum fuit in conciliis, unquàm ſe huic determinationi oppoſuit: nec ullus unquàm obtinuit, qui ſeſe legitimis cõcilii ſanctio nibus oppoſuerit.* Ceſſerunt *ergo* Paphnutio *ſuam dicẽ ti ſententiam in ea re nondum deciſa: non quia melius ille ſentiret de re ipſa, ſed quòd ob duritiam hominum nondum uenerat tempus hoc ſtatuendi.* Neque *enim*

Paphnutius ille, ò Luthere, fauit nuptiis, quaſi decerēt ſacerdotem Dei, ſed ad uitanda maiora ſcelera, humanæ carnis fragilitati indulſit. Denique tibi quouis modo non fauet Paphnutius, ò ſacrilege, Ipſe enim non de monachis, ſed de ſæcularibus clericis, illud conſuluit, At tu monachus eras: huic autem ſtatui ſic eſt annexū caſtitatis uotum, ut illud nec ſummi Pontificis diſpenſatio, teſte Innocentio III. ſoluere ualeat. Sed ad rem noſtram. Hæc Lutheri blaſphemia eò pertinet, ut cunctorum nobis conciliorum autoritatem eneruet: Quo perniciosiſſimo dogmate illud efficitur, ut omnes omniū hæreſes excitari denuò poſſint, ſi liceat cōciliorum autoritati reſiſtere. Verum ut ſuam immanem ſuperbiam excuſent, aiunt illud eſſe duntaxat concedendum concilijs, quod è ſcripturis eliciatur: reliquum omne uel definitum uel ſancitum ab eis, nullius eſſe autoritatis, nec ut à Spiritu ſancto profectum, eſſe recipiendum. Quod apud ſanè intelligentes tantum ualet, acſi apertè ac ſimpliciter dixiſſent, Nullius autoritatis ſunt concilia, ſed ſola ſcriptura, ideſt, nos ipſi ſoli, qui ſoli ſcripturas intelligimus: nā huc omnia redeūt tandē, quod craſſa ingenia non capiunt. Vide igitur ut cauilloſè, ut arroganter ac ſuperbè agant. Cauilloſè inquam, quia cum poſſit accidere, & hoc præſertim per hæreticos, ut dubitetur circa id de quo eſt quæſtio, quid ſcripturæ dicant, hoc prætereunt, Immò arrogātiſſime præſumunt clariſſimè hoc ſcripturas dicere quod ipſi uolunt: Et cū aliud ex aduerſo dicatur, illud ſibi ſuperbiſſimè arrogāt quod erat concilij, uidelicet rectam ſcripturarum interpre-

tationem. Ponunt et aliud quaſi ſuæ doctrinæ principiũ, uidelicet nihil à concilijs poſſe ſtatui, quod expreſſè in ſcripturis non habeatur. Ecce enim Apoſtolorum concilium, unde nos conciliorum poteſtatem & autoritatem diſcere poſſumus, ibi legimus. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil uobis ultra imponere oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis uos ab immolatis ſimulacrorũ &c. Nunc indicent nobis iſti magiſtri, ſi poſſunt, alicunde ex ſcripturis elici, quòd gentibus abſtinere à ſanguine & ſuffocato fuerit neceſſarium: Et tunc nos illis concedemus nihil ſtatui poſſe in concilio, quod in ſacris literis non habeatur expreſſum. Sed hac ſcripturæ ſanctæ autoritate proculdubiò iugulatur hæreticus, & iã nullibi põt conſiſtere. Verũ ut ſeruaret doctrinã ſuã, quoniã non poſſunt in tam incertis durare, ſpreto Oecumenico concilio tunc iam collecto, Lutherus ad aliud, neſcio quod concilium prouocare cæpit, nempe illud quod ipſe fabricare ſtatuerat manu ſua. Et aliquid amplius deſiderabimus ad cognoſcendum hæreticum intus & in cute? Scio & Bucerum quædam de concilijs conuocandis commentatum eſſe, ut eleuaret autoritatem conciliorum. Sed mittendi ſunt ſibi ipſis. Non eſt enim Lutheri, non eſt Buceri, nec priuati cuiuſquàm nouam de concilijs formam inducere, ac longè minus ueterem, quam illi timent, à s. Patribus traditam, ſophiſticis temerare cauillis, aut conuellere uerbis mẽdacibus: quia portæ inferi aduerſus Petram non præualent. Etenim probare nititur Papam non eſſe præſidentem uniuerſalis concilij, & arrogat multa ſæcularibus & Cæſari

Act. 15.

Matth. 15. *plenus mendaciis & dolo. Sed omnis tandem plantatio, quam non plantauit* Pater *cœleſtis eradicabitur.*

De cenſuris & excommunicatione.

H*Ic homo cum primum auerſus eſt à doctrina ſana, & niſus eſt eripere claues de manu* Petri, *docere cœpit excõmunicationes eſſe tantum externas pœnas.* Et *in eam tandem dementiam præceps ruit, ut diceret.* Docendi *ſunt chriſtiani plus diligere excommunicationem quàm timere.* Hanc *autem concluſionem ſic probat: quia ipſemet* Papa *dicit eſſe pœnam medicinalem,* Non *uidens infœlix ſophiſta, aut potius uidere nolens diſputator proteruus, quòd eatenus excommunicatio medicinalis eſt quatenus timetur uel ne incurratur, uel ut incurſa tollatur.* Abiecto *autem hoc timore, lætalis eſt:* Ideò *timenda non diligenda.* Quod *enim diligitur uel appetitur, quùm non habetur, uel quum habetur, delectat.* Quod *de excommunicatione dicere, neſcio an tam ſit impium, quàm eſt inſanum.*

De ſcripturis ſanctis.

P*Rimum negans autoritatem* Papæ *& conciliorũ hic homo, reddit nobis uniuerſam ſcripturam ſanctam incertam.* Non *enim aliunde eſt nobis ſcripturarum notio, quòd ſanctæ ſint, niſi ab eo quòd eas tales eſſe probauit ſummus* Pontifex, *et ſacroſancta cõcilia.* Vn*de illud* B. Auguſtini *prudenter dictum.* Euangelio *nõ crederẽ, niſi me eccleſiæ catholicæ moueret autoritas.* Quia *uerò hãc regulã non tenẽt hæretici, hinc factũ eſt ut liberum ſibi fecerint quas uelint negare ſcripturas, eaſque præcipuè, quas ſuis dogmatibus maxime obſta-*

re perſpexerint. Ob iſtam cauſſam cœpit Lutherus eã quæ B. Iacobo apoſtolo fratri Domini epiſtola inſcribitur, negare eſſe Apoſtoli & canonicam, quanquàm (ut homo inconſtans) de illa ſæpenumerò quaſi canonica, ſententias proferat. Alibi uerò indignam apoſtolico ſpiritu aſſerit. Denique ut ſuo more etiam amplius debaccharetur, & ſcurriliter blaſphemaret, uocat illam epiſtolam ſtramineam. Hoc uerò non ſolùm quia per illã ſcripturam manifeſtè peſtilens illa ſua doctrina iugulatur, qua negat ex operibus hominem quouis modo iuſtificari, uerum etiam quia nulla alia ſcriptura ita diſertè, planè, & concinnè illam ipſius uirulentam linguam deſcribit prophetans, ſicut Domini frater in ea epiſtola, quùm ait, linguam modicũ membrum eſſe, & magna iactet, quòd magnam ſyluam incendat tanquàm ignis, & quòd ſit uniuerſitas iniquitatis, ut quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis, inflammata ipſa à geenna. Nam cum omnis natura uolucrum, et ſerpentum, & cetorum à natura humana domentur, linguã hominis nullus hominum domare poteſt, inquietum malum; incohercibile, plenum ueneno mortifero. hæc ex illo Apoſtolo. Quæ cuncta profectò ſi de Lutheri lingua non uerificantur, aſſertum uolo meo periculo de nullius unquàm uerificari. Illud non omittam quod in alio noſtro libro in illum obieci, cum ille totum uetus inſtrumentum probaſſet, autoritatem tamen contra ſe ex Hieremia inductam iſta fatuitate excuſat, dicens. Ego duos Apoſtolos primò pro me habeo, quibus plus credendum eſt quàm Hieremiæ. Ac ſi dixerit ho=

Iac. 3.

mo inſanus. Malo credere Spiritui ſancto per Apoſtolos, quàm per Hieremiam loquenti. Adiecit his fatuitatibus contemnere ſe libros Macchabæorum, quos & ſi prius ut canonicos amplectebatur, tandem reprobauit ut ſcripturã falſam & mendacẽ, ſcilicet quia ibi Purgatoriũ animarũ clariſsimè aſſeritur, quas eleemoſinis, orationibus, & ſacrificijs uiuentium adiuuari ſcriptura illa teſtatur. Item propter martyrium à ſeptem fratribus, ciborum delectũ defendentibus, ſuſceptum: quod non probat homo uorax, et totus caro. Epiſtolam quoq; ad Hebræos reiecit, & tamen (ut perpetuò contra ſeipſum pugnet) in hac ſola innititur, ut Miſſæ ſacrificiũ inficietur. An non, quæſo, ſe prodit manifeſtè mendacij filium, et qui ſpiritum habuerit inſanæ uertiginis? Apocalipſin de qua etiam loca quædam tanquàm prophetica adduxit interdum aduerſum nos, rurſus quùm illi placet, è numero ſcripturarum ablegat, propter implicitas (inquit) uiſiones, quas explicari poſſe, aſſerit eſſe impoſsibile homo ſuperbus. Nos uerò de libris canonicis particularem libellum conſcripſimus, ut hoc in loco ſit ſatis aduerſus horum arrogantiam enarraſſe.

De autoritate doctrinæ ſanctorum Patrum.

INitio operis quod ad Leonem Pontificem eius nominis Decimum inſcripſit, his uerbis proteſtatur. Primum proteſtor me prorſus, nihil dicere, aut tenere uelle, niſi quod in & ex ſacris literis primò, deinde eccleſiaſticis patribus ab eccleſia Rom. recepis hucuſque ſeruatis, & ex canonibus ac Decretalibus Pontificijs habetur, & haberi poteſt. Hæc ille: paulò poſt autem

deprehenſus contra S. Patrum ſententias probatiſsimas ac diuturnis temporibus roboratas dogmatizare, ut in ſacrificio & ſacramentis quæ negat, omnem penitus eorum autoritatem deſtruxit, ſanctitati illorum impiè detrahens & doctrinæ. Quem auſum more hæreticorum, primùm ſcripturarum autoritate protexit, ſophiſticè ſemper & calumnioſè procedens, quaſi repugnarent S. Patres ſcripturis, & quaſi nos propterea autoritatem S. Patrum ſacris literis anteponeremus, aut æquaremus, & non ſuum gradum & ordinem cuique tribueremus. Scimus etiam nos, & comperimus eos nonnullum errandi periculum incurrere, qui hunc uel illum quamuis eccleſiaſticum, & quamuis præclari nominis doctorem ſanctum, in cũctis penitus quæ ille ſcripſerit, ſectari uelint, aut pertinaciter defendere. Sed non minus compertum eſt eos ediuersò in barathrum errorum demergi, qui temerè & indiſcriminatim probatorum autoritatem ſcriptorum contempſerunt, & his nihil moti, ſuum proprium præpoſuerunt iudiciũ. Quod iſte omnium mortalium arrogantiſsimus auſus eſt. Nihili enim facit, etiam cum in unam ſententiam conueniunt S. Patres, nõ opinantes tantummodò, neque cum formidine proferentes, aut non ſatis conſiderantes, ſed ſtudioſè etiam in contentione pronunciantes atque aſſerentes. Multum enim intereſt, de qua re, & quo pacto loquantur, ut ſapienter B. Auguſtinus admonuit. Non enim ita de rebus minimi ponderis habenda eſt eis fides, ſicut de rebus quæ ſunt grauiſsimæ, & magni præiudicij, quum atteſtantur. Vix enim in hu-

iuſmodi abberrare ſine ſubita correctione permittun- tur, idque præſertim quùm non quaſi opinantes, ſed aſ ſerentes, & quaſi pro comperto & explorato in eccle ſia habentes id quod affirmant, in quod etiam unanimi ter concurrunt. Hic enim illorum ſenſus non quaſi pri uatorum, ſed quaſi communis eccleſiæ, ac propterea ir- refragabilis, eſt cēſendus. Verùm aiunt, Scripturæ pro nobis atteſtantur. At de hoc eſt inter nos & illos quæ- ſtio, an ſcripturæ ita dicant, ut aiunt ipſi. Quod ergo in quæſtione eſt, accipiunt ut rem certam & iam com- pertam, pro parte ſua. In hoc enim uelut in arcem quā dam ſeſe recipere hæretici ſemper conſueuerunt, per- inde ac ſi ipſi ſoli, aut deniq; ipſi ſoli ſcripturas & ha- beant & legant, aut ſoli ipſi ſine errore interpreten- tur. Quæ præſumptio quàm ſit infirma, & quàm latè primis hoſtium pateat ictibus, nulli prudenti non eſt apertum, cui ſatis eſt animaduertere hoc effugium ſcri pturarum, commune ſemper fuiſſe omnibus hæreticis, ut ſpreta eccleſia & s. Patribus, ad ſcripturas prouo- carent: quod non eſt aliud quàm uelle pro arbitrio, lo- co germani ſenſus, ſuum quenlibet, hoc eſt, adulterinum ſupponere. At hoc rurſum nihil aliud eſt quàm ſubta- citè (apud cordatos tamen) negare ſcripturas. Nam ad hæreticos ita pertinent ſcripturæ, ſicut ille puer ad eā mulierē pertinebat, quæ coram Salomōe pro eo litigās,
3.Reg.3. *non curabat eum diſcindi medium, aiens. Nec mihi nec tibi, ſed ſcindatur. Hic aūt puer* CHRISTVS *eſt, cuius quæ cupit ſciſſionē mulier, iā nō eſt mater, nec eo dignus. Reddēdus eſt aūt puer à Sapientia, matri ſuæ.*

De autoritate hiſtoriarũ, & exemplis S. Patrum.

Hiſtorias eccleſiaſticas S. Patrum, etiam à probatis & fide dignis autoribus ſcriptas, negat, et in dignis more ſuo dicterijs deridet noua iſta ſapientia, cũ tamen paganorum hiſtorias interim recipiat, & cum illi ſeruiunt, ſimul in autoritatem extollat: ut in promptu ſit ratio cur noſtras neget, nimirum quia multa ibi noſtræ fidei conſentanea leguntur, quam ipſi impugnant. Vnde Lutherus *contra* Purgatorium *& ſimul contra* B. Gregorium *diſceptans, in hunc modum ſcripſit.* Tutius *eſt totum* Purgatorium *negare, quàm* Gregorio *in dialogis credere.* De *ſanctorum uerò exẽplis; quam uocem, bone* Deus, *emiſit? quantæ impietatis, & quàm manifeſtè calumniæ?* Cum *enim pro* Miſſæ *ſacrificio obijcerentur illi omnia geſta & facta* Sanctorum, *ille horrendè & diabolicißimè reſpondit his uerbis,* Nihil *eſſe periculoſius ſub cœlo exemplis* Sanctorum *teſtimonio ſcripturarum non roboratis.* Et *ſubdit maligniſſimus ſcripturarũ adulterator, & ſanctorum* Dei *blaſphemus calumniator.* De *iſtò errore ſanctorum & pernicioſo exemplo eorum dixit* CHRISTVS. *Dabunt ſigna et prodigia ut in errorem ducant, ſi fieri poteſt, etiam electos.* Hæc *iſte* Diabolus *intorquet in* Sanctos Dei, *quæ tamen* Dominus *non de ſanctis ibi, ſed de ſui ſimilibus, hoc eſt, pſeudochriſtis & pſeudoprophetis manifeſtißimè pronunciauit.* Quo *certè fit, ut homo impius hac ſola blaſphemia manifeſtè ſe prodat eſſe* Sanctorum *omnium hoſtem, uolens illos horrenda illa pſeudochriſtorum, & falſorum prophetarum appella=*

De abrog. Miſſ.

In lib. de Can. Miſſ.

Matth. 24.

tione à Domino fuiſſe ſignificatos. Quo quid peruerſius & magis blaſphemum fingi poßit, equidem neſcio. Si enim uiri ſancti ſeducunt, qui erunt electi illi qui nõ ſeducentur, aut nos à ſeductione illorum ſanctorum liberabunt? Et rurſum, ſi ſancti ſeducunt, quid facient pſeudoprophetæ? Et quõ ſtabit regnum CHRISTI*? O uerè Antichriſti & filij perditionis. Et uide quantum auſi ſint. Dixerunt B. Petrum non ſolùm non fuiſſe Romanum Pontificem, ſed nec unquàm fuiſſe Romæ: quod & ſuis quibuſdam præſtigijs ſuadere conantur, contra tot ueterum ſanctorum teſtimonia, & omnium ſæculorum et populorum perſuaſionem ac fidem, quæ hic oſtendere ſuperfluum exiſtimo. Mitto & alia multa quæ contra ſanctorum aliorum miracula & geſta ſtomachoſus euomuit, ad euertendam omnem fidelium erga Sanctos piam deuotionem. Nam quæ ſupra ſcripſimus, ſatis eſſe puto ad perſuadendum, quodlibet & quantumuis blaſphemum de eius ore facile emanare potuiſſe.*

De autoritate Canonum & ciuilium legum.

E*X huius doctrinæ principijs conſtituere oportet omnes Pontificum Canones, & Principum leges contra rebelles nullius eſſe uigoris hoc dogmatizante Luthero. Breui enim ſermone complectens quodam in loco ait. Prorſus nullis hominum legibus tenemur. Et alibi. Clamo fidenter, Chriſtianis nihil ullo iure imponi poſſe legum ſiue ab hominibus, ſiue ab angelis, niſi quantum uolunt: liberi enim ſunt ab hominibus. Et amplius. Neque Papa, neque epiſcopus, neq; ullus hominum habet ius*

De Iudic. Chriſt. cõgrega.

De capt. Bab.

bet ius unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper unum homi-nem, niſi id fiat eiuſdem conſenſu: et quicquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit. Vnde infert. Ideò *ieiunia, orationes, donationes, et quæcunque tandem* Papa *in ſuis uniuerſis* Decretis *tam multis quàm iniquis, ſtatuit et exigit, prorſus nullo iure exigit & ſtatuit, peccatq́; in libertatem eccleſiaſticam totiens quotiens &c. hæc ille pro ſua* Lutherana *libertate ad euertendum uniuerſum ius canonicum, & ciuile.* Nec *uidit homo ad docẽdum præceps, qui ſe fingit inniti ſcripturis, per ipſas ſcripturas utrunque ius, tanquàm neceſſarium humanæ uitæ, probari & commendari: quæ res euidenter ſic demonſtratur.* Quia *enim quæ de iure naturali ac diuino ſunt, non omnia certa uel determinata ſunt apud omnes, quia non eſt omnium ſcientia & prudentia, ideò oportuit ferri leges & canones à ſapientibus, ut quæ eſſent utriuſque iuris incerta, per ſcientiam certa conſtituerentur:* Et *quæ indeterminata, per prudentiã determinarentur.* Nam *ſicut ſe habet ius ciuile ad naturale, ita ius canonicum ſe habet ad diuinũ.* Quæ *ut exẽplis reddantur clariora,* Scimus *eſſe iuris naturalis (nã hoc recta ratio dictat) quòd una uni debeat copulari coniugio: hoc tamen non ita erat euidens omnibus in cõmuni lumine naturali, quod facilè per carnis concupiſcentias obſcurabatur.* Quare *oportuit hoc à ſapientibus euinci, &, ut exploratum, ſtatui legẽ ciuili, ut quæ per carnis concupiſcentiã oriri poterat peruerſa exiſtimatio, oppoſita tolleretur, ac propterea leges, quæ communes mulieres, uel pluralitatem uxorum permit-*

tebant, tollerentur. Ad hæc *lex naturalis dictat.* Quod *tibi non uis fieri, alteri ne feceris.* Ex hoc *proculdubiò conſtat, adulterium, furtum, falſi crimen, & quæ huiuſmodi ſunt, naturali lege prohiberi.* Hinc *autem planè conſequebatur, quòd ſi hæc delicta admitterentur, pœna & ſupplicio digna eſſent; certam tamen his facinoribus prauis non determinauit pœnam lex naturæ:* Ideò *hic opus fuit ciuili lege, quam ſapientes ciues, aut principes ciuitatū ſtatuant ad huiuſmodi determinanda, quoniam hæc ſunt quæ uel à tempore, uel à locis, uel à perſonis, & cæteris circunſtantijs, uariationem accipere poſſunt.* Vnde *nihil mirum ſi pro uaria temporum cõditione, & locorum, & perſonarum, etiam uariè à ſapientibus per leges prouiſum eſt. Sunt enim iura hæc ciuilia & canonica ſuapte natura mutabilia.* Ius *autem naturale & diuinum, illud quod eſt gratiæ & charitatis; immutabile eſt.* Adhæc *de iure naturali eſt & euangelico, quòd honor parentibus debeatur, & propterea inter conſanguineos & affines ſeruari debeat honeſtus aliquis pudor, ne inuicem turpitudinem reuelent: hoc tamen uſq; ad quem gradum ſeruari debeat, certum & determinatum non eſt.* De *parentibus autem & liberis uſq; in infinitum conſtat apud omnes gentes naturali ratione has perſonas non poſſe cõmiſceri,* Et *ſimiliter de fratre & ſorore primi gradus: de poſterioribus uerò relictum eſt ſapientibus, & ciuilium legum conditoribus, ut ipſa ratio dictat pro conditione temporum, locorum, perſonarum determinãdum.* Iuxta *uerò diuinum ius data eſt hæc determinãdi poteſtas ſummis* Pontifi-

cibus. Et iccircò non eſt ſapientia Martini, ſed eſt arrogãtia hæretici, hãc poteſtatẽ ſibi tribuere, ſicut et fecit. Erãt multa & adhuc ſunt, de iure diuino, nõ tamẽ ſatis euidentia, ſiue ad fidem, ſiue ad mores ſpectent, & ideò oportuit hæc canonico iuri relinqui, ut per Pontifices declararentur. Similiter quæ mandari oportuit, non ſunt omnia iure diuino determinata, & proptereà iuri diuino determinanda relicta ſunt. Ob hanc .n. cauſſã dedit Dominus in terra Apoſtolos & paſtores, ut ſtaremus illorum deciſionibus ac mandatis, in his quæ non ſunt certò determinata in ſcripturis. Et proptereà dicit: Qui uos audit, me audit, & qui uos ſpernit, me ſpernit. B. Pau. teſtatur hanc poteſtatem datam eccleſiæ ad ædificationẽ. Quamobrẽ ortæ difficultates circa credenda & obſeruanda hoc pacto deciſæ ſunt, ſicut nobis præbuerunt exemplum Apoſtoli in illius de legis cerimonijs deciſa quæſtione. Vnde & poſteà pari modo autoritate Apoſtolica, plurima ſunt & in generalibus concilijs, uel extra concilia, per ſummos Pontifices declarata emergentia dubia, ut non ſit fas ulterius cuiquàm fidelium retractare ea iã definita. Determinarunt pari modo plurima, quæ iure diuino indeterminata manebãt. V. g. Scripturæ ſanctæ (D. Aug. teſte) indicant & præcipiunt ieiunium, modum tamen & diem non determinant. ſeruatum igitur fuit eccleſiæ paſtoribus. Similiter & confeſſio & cætera ſacramenta, de iure diuino ſunt. Quo autem pacto, quo ritu, quibus temporibus, quibus tandem ſolemnitatibus, ius diuinum non declarat apertè. Ergo hæc reliquit determinanda præſuli-

Luc. 10.
2. Cor. 10.
Act. 15.

bus eccleſiæ, quibus ſpiritum ſuum promiſit, dicens:
Ioan. 16. *Multa habeo uobis dicere, ſed non poteſtis portare mo*
do; cum autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, ducet uos
in omnem ueritatem. Vnde B. Paulus *iſta confidentia*
1. Cor. 7. *fretus, mãdans* Corinthijs *quædam:* Puto *autem, inquit,*
quòd & ego ſpiritum Dei *habeam.* Addo *quòd & ad*
Pſal. 67. *componẽdam eccleſiam in multis ac uarijs, ut unius mo*
ris omnes habitarent in domo Dei, *neceſſarium fuit ſem*
per habere uiuã legem & poteſtatẽ, qua & æquitas &
charitas ſuſtineretur. Nec *eſt omittendũ quòd & ipſi*
Apoſtoli *præter uerbum* Dei *ſcriptum, nonnulla uiua*
CHRISTI *uoce accepta tradiderunt eccleſiis, quæ ip-*
ſi propria autoritate ingerere in eccleſiam non ualuiſ
ſent, ut ſunt eſſentialia ſacrificij ac ſacramẽtorum, quæ
non niſi perfidè ac ſcelerate ab iſtis negantur, & ma-
gno ſacrilegio conculcantur. Non *me latet ipſum eun-*
dem Lutherum, *quia hæc ſtare non poterant, uariè at*
que inconſtanter docuiſſe. Vnde *& ipſius ſectatores*
Melancthon *&* Bucerus *plus tribuerunt ſæcularibus*
legibus, quàm conueniret, quæ probari quidem ab euã-
gelio rectè confitentur, ut oporteat eas etiam ſeruari.
In *hoc tamen errant maximè, quòd licitum & illicitum*
in contractibus, & matrimonijs, & delictis, & alijs de
quibus ciuiles & canonicæ leges determinant, non à ra
tione proficiſci, ſed à placito ſtatuentium, aſſerunt. Ita-
que de uſuris ac matrimonijs quæcunque ſæcularibus
magiſtratibus placent, & ſi meritò uideantur rationi
contraria, licita eſſe arbitratur Melancthon: *quod in*
ſuis diſputationibus ſcripſit, Bucerus *in commen. ſup.*

Matth. etiam conatur Magiſtratuũ uſuras licitas face re. O uiros uerè Belial. Et ait, Quales debeant eſſe con tractus, non magis ad Theologum pertinere, quàm qua lia pharmaca debeant in ſingulis morbis dari. Cum igi tur hæc omnia euertat impia Lutheri doctrina, facilè apparet cuius ſpiritus illa ſit.

De maiorum traditionibus.

QVoniam uerò multa quæ ſunt in uſu eccleſiæ, nec in ſacris ſcripturis, nec certa lege canonica eſſe præcepta reperias, ſed ſolummodò Apoſtolorum ac Maiorum traditionibus fideliter recepta, & ſanctiſſimè obſeruata ad nos peruenerunt: De ijs ergo cõmunis eſt omnium Catholicorum ſententia à teſtimonijs S. Patrum, non eſſe ab his maiorum traditionibus recedendum, ex quibus etiam quædam fidei noſtræ diſcuntur, & comprobantur. Vnde quòd pueri ſub peccato originali naſcantur, & conſequenter ſub Diaboli poteſtate, euicit B. Aug. ab eo quòd ab eccleſia baptizantur et exorciſmis expiantur. Inducebat enim, ne aduerſarij hunc ritum contemnerent, à maiorum traditione ueniſſe. Sed pro hac re firmiorem ſcripturarũ s. habemus conteſtationẽ. Nã hæc erat B. Pauli, & Apoſtolorũ prædicatio, ut habetur in Act. & in epiſtola ad Theſalon. ut fideles Apoſtolorum & ſeniorum præcepta & traditiones tenerent, Alioquin qua fronte auderet iſte Apoſtolus tantus plura ex ſe afferre, quæ tamen Dominus non mandarat? Quapropter ait. Hoc ego dico, non Dominus. Vnde autem accepit à ſcripturis q. uir non deberet orare, aut prophetare uelato capite:

1. Th. 2. Act. 15. 1. Cor. 7. Ibid. c. 11.

mulier autem non niſi uelato capite? Nonne *hic à ſpiritu edocebatur, & in eccleſiæ conſuetudine innitebatur? Quis non in eius uerbis hoc euidēter perſpiciat?* Nos, *inquit, talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſiæ* Dei. B. *etiā* Irenæus, *ut ſuperius adduximus, ad confundendos hæreticos plurimum ualere apoſtolicæ ſedis antiquas traditiones, & in omni eccleſia longa annorum ſerie cuſtoditas, ampliſſimo teſtimonio probat. Quare pernicioſa eſt, & magni ſcandali ac ſeditionis, ſchiſmatiſq; parens hæc horum peruerſorum hominum hæreſis, qua decantant nihil eſſe admittendum, quod ſacris literis non habeatur expreſſum.* Vndę *ui ueritatis uictus infælix iſte, aliquando purgatorium eſſe ſola traditionum autoritate confirmauit: dixit enim.*

In diſput. lypſic. *Mihi certiſſimum̄ eſt purgatorium eſſe, nec multum me mouet quid blatterent hæretici.* Et adiecit. Nunquid *ideò credendum eſt hæretico* Pighardo *uix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot ſæculorum falſam fuiſſe concedendum eſt? hæc* Lutherus, *quibus tælis in illum retortis proculdubio confoditur & proſternitur.* Ipſe *eſt enim hæreticus nondum triginta annos natus, qui ſe arbitratur & in tam multis dogmatis, tot ſæculorum fidem nudis ſuis ſententijs falſam oſtendere, ſuaq; ſola autoritate, & contra ſuam aliquando autoritatem. ut euangelicū illud illi planè conueniat:* De

Luc. 19. *ore tuo te iudico ſerue nequam.*

De autoritate uniuerſitatum.

VNiuerſitatum *doctorum autoritates quanquàm aliquando nō uituperaret, ſed mirifice laudaret,*

ad quas etiam prouocauerat. Nã & ſpecialiter Parrhi*ſienſem ſtudiorum parentem, & ab antiquo ſemper chriſtianiſſimam, & in theologia florentiſſimam uocauit.* Vt *eas tamen uidit ſibi aduerſas, mirum quàm horribiliter lacerauerit.* Vnde *in lib.* de Abrog. *Miſſæ ſic ait.* Gymnaſia *ſunt* Sodoma *&* Gomorrha, *ideò ipſa* Satanæ *lupanaria.* Et *iam uidiſti quàm intolerabili contumelia,* Parrhiſienſem *uocauit* Sodomã, *&* Louanienſem Gomorrham. Et *contra me ſcribens, imò non contra me, ſed contra totum chriſtianum ordinem, ait.* Ad *euangelium funditus extinguẽdum uidetur* Satan *nec aſtutius, nec efficacius inueniſſe commentum, quàm uniuerſitatum erigendarum. hæc ille,* Nimirum *quia per has manifeſtantur hæreſes, & hæretici ſui ſimiles.*

De ſæculari poteſtate.

Q*Væ contra* Cæſaris *poteſtatem et aliorum principum docuit iſte perturbator ordinis, teſtis eſt ingens illa ſeditio, quam ab initio inter ruſticos & principes concitauit.* Atteſtatur *& perfida eius contumacia, qua* Cæſaris *edictis ſemper reſtitit, imò illa contumelioſiſſimè irriſit.* Quàm *uerò ſcurriliter &* Angliæ *regem, cum adhuc ſub eccleſia* Rom. *retineretur, tractauerit, & ſimiliter* Germanos *principes, non eſt iterùm enarrandi locus, niſi quòd non iam mirum, ſed miraculum mihi uidetur, quòd hic homo principatui omni infẽſiſſimus, permiſſus ſit uiuere; credo ſeruatum fuiſſe pro flagello* Dei, *quo tamen nulli magis ceduntur, quàm qui illi hærent, idq; iuſtiſſimo ſummi* Dei *iudicio, ut per quæ quis peccat, per ea & torqueatur.*

De autoritate ſæculari comparata eccleſiaſticæ.

Homo iſte ut non ſolùm inconſtantiam, ſed etiam malignitatem ac peruerſitatem ſuam nobis oſtẽderet, tametſi omnem de mundo poteſtatem ſuſtulerit, ut uidiſti, ſua doctrina: nihilominus quùm plerunque comparat eccleſiaſticam poteſtatem ſæculari, ſeditioſiſſimè contendit ſæcularem eſſe maiorem eccleſiaſtica. De *qua re proprium ad* Germanicam *nobilitatem ſcripſit libellum, quo id euinceret: ubi de tribus muris tractat* Romanenſium, *ut ipſe uocat, quos euertere ſua buccina conatus eſt.* Et *murum primum ait eſſe hunc, uidelicet, quòd eccleſiaſtica poteſtas ſit maior ſæculari:* Et *uerè dicit murum, in quem tamen qui arietat, neceſſe eſt illum, non quidem ipſum murum, ſed ſemetipſum confringere & conterere, niſi uelit infælix ſua buccina id efficere, ut & plumbum auro præſtantius ſit, & luna dignior ſole, ac cœlo terra ſublimior.* Huiuſmodi *enim ſimilitudinibus utuntur uiri ſanctiſsimi* Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, *& alij pij uiri, ut præſtantiam dignitatis & poteſtatis eccleſiaſticæ præ ſæculari, nobis oſtenderent.*

De abuſibus qui ſunt in eccleſia.

Videns hic ſerpens callidus multum moueri turbas, quùm ſacerdotum abuſus, & malos mores audiunt (Natura *enim omnes tales ſumus) ferè nihil aliud in ſuos libros coniecit, quàm maledicta & inuectiuas, in eos qui eccleſiam regunt.* Quo *in loco multipliciter peccant iſti noui magiſtri:* Tum *quia non eſt illorum de abuſibus cenſere, aut contra abuſus condere inuectiuas,*

cum ipſi ſint meri abuſus: Tum uerò quòd abuſus uocant impuriſſimi canes & rabidi, ea quæ ſancta ſunt, et pulchra, & utilia in eccleſia CHRISTI, *ut eſt ſacroſanctum ſacrificium, ſacramenta, & inſtituta plurima* S. Patrum *ad cerimonias & obſeruantias pertinentia, quæ totam eccleſiam & conſeruant, & decorant.* Quid *autem mirum ſi ſpurciſſimæ ſues margaritas pedibus, & ſub luto, conculcent & conuoluant?*

De ſanctiſſima Trinitate.

L*Icet hic homo, & qui eius factionis ſunt, quùm de* Trinitate *proponunt articulos, non uideantur ab orthodoxa doctrina recedere,* Attamen *& hanc circa rem ſæpenumerò ſcandaloſiſſimè loquuntur.* Primò *enim cum tam crebrò detrahant concilijs, nec parcant Niceno, in quo hæreſis Ariana damnata fuit, & acclamatũ eſt* ὁμούσιος Filio Dei, *profectò nonnihil præiudicij faciunt ueritati.* Et *præter hoc uenerabilis* Doctor Ioannes Cochleus, *uir omnium eccleſiaſticorum iudicio, non minus fide ac moribus, quàm doctrina clarus, teſtatur* Lutherũ *uoluiſſe* Arianorum *dictum tueri, aientiũ non eſſe recipiendam uocẽ* ὁμούσιον, *eò quòd in ſcripturis non inueniretur.* Nam *in hunc modum plenum mẽdacijs & ſcandalis aduerſus* Iacobum Latomum *reſcripſit.* Nec *eſt, inquit, ꝙ mihi* ὁμούσιον *illud obiectes aduerſus* Arianos *receptum: non fuit receptum à multis hiſq; præclariſſimis, quod &* Hiernymus *optauit aboleri, adeoq; non effugerunt periculum, hoc inuento uocabulo, ut* Hieronymus *queratur neſcire ſe quid ueneni lateat in ſyllabis & literis. hæc* Lutherus. Quo *in loco*

penè obſtupui agnoſcens tantum, tamq; apertum mendaciũ, quod tamen uel ab Eraſmo didicit, uel (quod fortè uerius) ambo ab uno magiſtro peruerſo Dæmone. Eraſmus enim ferè eadem ſcripſit, quanquàm hic noſter etiam impudentius. Vocat præclariſsimos uiros, ſicut Eraſmus, eos qui non receperunt illam uocem, cum non fuiſſent niſi heretici, & partibus Arianis fauentes. Quod uerò addit, Hieronymus optauit hoc nomen aboleri, ad B. Damaſum ſcribens, impudentiſsimi hominis mendacium eſt. contrà enim D. Hieronymus, è diametro oppoſitum aſtruit. Nec ullibi dicit de uoce illa ὁμοούσιος, q. quicquàm lateret in literis & ſyllabis: Sed hoc potius de uocibus, quas Ariani ingerebãt, ſe metuere aiebat. Videat qui uult B. Hieronymum ipſum ad Damaſum ſcribentẽ, ut probet hũc patronũ hæreticorũ mendacem eſſe omnium mortalium impudentiſsimum.

De peccato originali.

CONcludit hæc inſana doctrina fomitem eſſe originale peccatum, & tale quod habeat rationem culpæ in renatis in CHRISTO, ut cogatur blaſphemans dicere, per baptiſmum originale peccatum non tolli, contra innumerabiles ſcripturas, et s. Patrum definitam ſententiam; Vnde meritò a Pontifice damnatus eſt ille articulus quo ait. In puero poſt baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare. Non ignoramus in ſcripturis ſanctis fomitem dici peccatum, quo modo (ut ſæpius B. Aug. declarat) uerba dicuntur lingua, & ſcriptura dicitur manus, eò quod à lingua efferũtur uerba, & à manu exa=

In Aſſer. articulo. 2.

ratur ſcriptura;non quòd fomes uerè habeat in chriſtia no rationem peccati & culpæ.Stultus eſt igitur & inſanus ille articulus,quo ait fomitem remorari animam ab ingreſſu cœli. Sed non libet ſuper his ſtultis diſputare ulterius, & ab alijs rem bene actam, iterum agere: quanquàm & nos in noſtris lucubrationibus nouis, de his fuſius tractauerimus.

De pœna peccati originalis.

I *Mprobabilis,& miſericordiæ* Dei *minus conſentanea huius uiri aſſertio illa eſt, q. pœna peccati originalis ſit geenna ignis, cum omnis ſchola* Catholicorũ *contrarium doceat, ſummusq;* Pontifex Innocen. *in ſuo* Decreto *manifeſtè reſiſtat.* Non ignoro hanc opinionẽ *fuiſſe aliquando* D. Aug. *qui tamen eam non ſemper aſſeruit,ſed,ut ipſe teſtatur,in ea re definiẽda magnis co arctabatur anguſtijs:nõnullis etiam in locis longè aliud docuit.*Et *nunc ſi uiueret,patefacta iam ueritate, procuIdubiò nullo modo probaret.*

De libero arbitrio.

N *On ſolùm in hoc articulo peruersè ac impiè loquutus eſt hic hæreticus,& contra bonitatem diuinam blaſphemè, uerum etiam contra omnem humanum ſenſum,& contra id quod, niſi prorſus ſimus amẽtes,certa experientia cognoſcimus: quãdoquidem multa à noſtra libera uolontate dependere ut fiant,uel non fiant,aut ut hoc uel alio modo fiant per uim libri arbitrij,nemo mente ſanus non ſentit. At hic homo,ſi modo hõ eſt,in hunc modũ ſcripſit.Omnia ex abſoluta neceſſitate eueniunt à* Deo : *Vt etiam* Deum *non ſolùm eſſe* In reſol. arti.36.

cauſſam peccati permiſsiuè, ſed etiã effectiuè affirmet. quod hic referre horreſco. Et *alibi. Si præſciuit* Deus *Iudã fore proditorem, neceſſariò* Iudas *flebat proditor, nec erat in manu* Iudæ, *aut ullius creaturæ, aliter facere, aut uoluntatē mutare: licet id fecerit uolēdo, nō coactus: ſed uelle illud erat opus* Dei. *hæc ille,* Quæ *ſi ſeriò profert, omninò ſe rõnis expertē indicat: ſin autē, ut exiſtimo, non ita ſenſerit, ſed ad turbandum nos, uult nobis faceſſere negocium (nam & ipſemet de his incōſtanter loquitur) nolo gaudeat ſe uoti compotem.* Remitto *eum ad tribunal* Dei, *redditurum illi de hac cum alijs inſigni blaſphemia rationem, qua* Dei *bonitatem peccati autorem conſtituit, & hominem non permittit eſſe hominem, ſed beſtiam & truncum, qui nihil in bono opere, ui liberi arbitrij adiuti à gratia, cooperetur.* Hanc *autem inſanam poſitionem tot abſurda ſequuntur, quod nec iuſto uolumine explicarentur.* Nec *tamen ignoramus ad omnem actum peccati* Deum *concurrere: At ad ipſum peccatū, hoc eſt, ad ipſam (ut ita dicã) deordinationem actus, ut eſt contra ipſam* Dei *uoluntatem, quo pacto (rogo) queat* Deus *cōcurrere? At peccatū ipſa deordinatione perficitur, quæ forma eſt eius.* Hoc *ſi quis ſic intelligit, teneat intellectum, linguã cohibeat.*

De ſeruo arabitrio.

De ſacramentis.

S*Icut accidit omni à uia aberranti, ut quantò magis procedit, tantò aberret longius, ita contigit huic homini de ſacramētis enarranti. Cœpit enim paulatim numerum ſacramentorum minuere, ut iam ſibi non ſeptem eſſent, ſicut prius cum* Catholicis *fatebatur, ſed*

tria tantum,imò unum,imò duo.Ita enim fatuè,ut opor
tebat, loquutus eſt in præludio ſuæ Babylonicæ captiui
tatis.Principiò,inquit,neganda mihi ſunt ſeptem ſacra=
menta . O principium captiuitate Babylonica uerè di=
gnum.Adiecit.Et tria pro tempore concedenda; quan=
quàm more ſcripturarum loquendo,potius eſt unum ſa
cramentum,& tria ſignacula . hæc ille ibi. Et in calce
captiui.Babylon.Propriè,ait,ea ſacramenta uocari ui=
ſum eſt,quæ annexis ſignis promiſſa ſunt:quo fit ut ſi ri
gidè loqui uolumus,duo ſunt in eccleſia Dei ſacramen=
ta.Ecce ergo in hac phrenetica doctrina, ſacramenta iã
non ſunt ſeptem,ſed tria,aut duo,aut unum.Ego autem
certè puto quòd ſi licuiſſet, cum uiueret, in eius corde
conſpicere,nullam perſpexiſſemus ibi ullius ſacramen=
ti nec fidem,nec opinionem,ſed hominem ſedentem in ca
thedra deriſorum,delectari ludere & ridere,& faceſ=
ſere negocium eccleſiæ; minime perpendentem qualis
tandem manebat illum irriſio, quam nunc infœlix ex=
peritur.Illud uniuerſaliter de ſacramentis ut petulan=
tiſſimè,ita pernicioſiſſimè protulit aduerſus omnes ce=
lebres Theologos, & in iniuriam uniuerſæ eccleſiæ
Dei:ſcripſit enim.Hæretica eſt, ſed uſitata ſententia,ſa In reſol. &
cramenta nouæ legis dare gratiam illis,qui nõ ponunt aſſer.
obicem.hæc ille,& is eſt qui ſe facit prædicatorem gra
tiæ.Nec tamẽ aliud agit in uniuerſa doctrina ſua,q̃ ut
gratiam CHRISTI penitus deſtruat, & extinguat.
Verùm quia hoc argumẽtũ ſatis ab alijs tractatũ eſt,et
præcipuè à glorioſo noſtræ ætatis Martyre B.Ioã. Epi
ſcopo Roffenſi;neque hæreticus hanc rem argumentis

diſputat,ſed nudis uerbis pronunciat,idq; aduerſus placita ſanctorum conciliorum,& communem eccleſiæ & Doctorum conſenſum, ſuperuacuum cenſui quicquàm hoc in loco addere.

De baptiſmo.

M*Vlta circa hoc ſacramentum docuit ſcandaloſa, & ſchiſmatica.*Dedit *enim primò anſam ad hæreſim* Catabaptiſtarum, *ſcribens in hunc modum ad* Valdenſes.Præſtat *prorſus omittere baptiſmũ in paruulis,quàm baptizare ſine fide:quia ſacramenta neq; debent,neque poſſunt ſine fide accipi.*Nec *me tamen latet illum aliquando aliud docuiſſe.* Quod *autem de fide obijcit,nihil momenti prorſus habet,*Debuit.n.*ſcire in pueris à parentibus ac maioribus ſuppleri fidẽ, qui per ſeipſos eam præſtare non poſſunt.* Iniquum *autem eſſet ipſo parentum facto potuiſſe abſque ſua ipſorum uoluntate ſalutem amittere, recuperare autem ſimili modo non poſſe.*Verùm *nihil eſt iniquitatis,quod hæreticus iſte non libentiſſimè ſit amplexus.*

De *charactere qui in huiuſmodi ſacramentis imprimitur,more ſuo deridens,dixit.*Concedo *ut* Papa *characterem hunc imprimat ignorante Chriſto.* Tanquàm *ſanctiſſimi* Doctores,*&* olim B. Diony.Areopagita,*et alij poſt illum, qui hoc ſpirituale ſignaculum docuerũt, non acceperint de ſcripturis ſanctis.* Saltẽ *docuiſſet nos hic homo,ſi baptiſmus non imprimit characterem,quid obſtat ne iterari poſſit?*Non *me latet & alias à ſcholaſticis rationes non iterationis afferri:*Sed *certè nulla eſt efficax, niſi ratio conſecrationis, quæ in baptiſmo per*

characterem efficitur. De qua re etiam libuit nonnihil *diſſerere quæſtione ſpeciali.*

Docuit item malignus, quòd baptizatus, etiam uolens, non poteſt perdere ſalutem ſuam, niſi nolit credere. Quo dogmate nihil doceri poteſt periculoſius, nihil falſum euidentius. Apoſtolus enim numerat opera carnis plurima præter infidelitatem, ut adulterium, fornicationẽ, ueneficia &c. de quibus tamẽ teſtatur q, qui egerint, regnum Dei non conſequentur. Sed aiunt. In hæc nõ incurrunt, niſi infideles. Aiunt quidẽ, ſed nõ probãt, nõ defendũt, niſi nudis uerbis, & autoritate hæretica. Ad Gal. 5.

Denique homo temerarius, imò rabiduus canis, ut qui lacerat dentibus omne ſanctum, ſolemnitates circa ſacramentum bapiſmi adhiberi ſolitas, à uiris ſanctis traditas, & ſerie ſæculorum obſeruatas, plenas myſteriorum & diſciplinæ, non eſt ueritus repudiare: ſicut & alias reliquorum ſacramentorum cerimonias, & id quia per eas Dæmones myſteria intelligentes, torquebantur: quod ignorat humana ſtupiditas. Nec nouit aliud hæreticus in illas obijcere ſolemnitates, niſi quòd in ſcripturis non præcipiuntur. Vetus quidem ac nimis protritum, & ſatis exploſum hæreticorom commentũ, contra quod tamen & ipſi, uelint nolint, coguntur committere, cum multa in ſuis obſeruent conuenticulis, quæ nec in ſcripturis ullum habent exemplum.

De Euchariſtia.

NOlo quenquàm ignorare hunc hominẽ initio ſuæ febris, antequàm ea uerteretur in phreneſim, rectè docuiſſe, quòd peracta huius ſacroſancti myſterij

In ſerm.de Euchari.

conſecratione, non eſt ulterius panis & uinum. Nempe, inquit, panis in uerum & naturale corpus CHRISTI, & uinum in uerum & naturalem ſanguinem CHRISTI tranſmutatur. Poſtmodò autem ipſe uerè (uti diximus) tranſmutatus in furiam, ſtabiliuit conſcientiam ſuam in ſententia oppoſita, & dogmatizauit, adhuc uerum panem, uerumq; uinum manere ſimul cum CHRISTI corpore, etiam ſi angelus de cœlo aliter ſtatuerit. Vnde contra regem Angliæ ſcribens, Impius eſt, inquit, & blaſphemus, ſi quis dicat panem trãſubſtãtiari. Et adiecit homo conculcator uerbi Dei, quòd de illo pane communi qui (ut ipſe docet) manet, uerificatur quòd eſt corpus CHRISTI: Et ſimiliter de uino communi, uerum eſſe ait, quòd eſt ſanguis CHRISTI: ut quod angelis non eſt datum, hic homo creaturæ, quæ ſenſu caret, tribuat. quod ſine horrore ſentiri non debet. Non me fugit quòd, ut eſt ſemper incõſtans, aliter uiſus eſt dicere, & excuſare contra ſua propria uerba expreſſa, illud tamen ſemper conſtanter aſſerẽs, manère communem panem & uinnm, contra S. Patrũ, & conciliorum determinationem manifeſtam.

Illud quoque non patiar neſcire lectorem, quòd (ut iam diximus) huic ſectæ accidit, quod uia aberrantibus: nam eò tandem deuenit, ut diceret in Euchariſtia non eſſe uere corpus CHRISTI & ſanguinem, niſi pro eo tẽporis ſpacio quo in cibum ſumitur, uel in potum: Quo dogmate, neſcio an aliquid fingi poßit in CHRISTVM contumelioſius. Volunt enim præterea, & ante ſumptionem non eſſe adorabile, & poſtquàm ſumptum

ptum eſt,quod permanet reliquiarum, eſſe prophanū, & effundi poſſe, uel comedi ut communis panis,& pari ratione dari canibus abſque ſacrilegio. O canes,& porci,O conculcatores ſummæ diuinitatis corporaliter.

*Circa uſum ſacramenti huius perſtitit cum damnatis hæreticis,uolens laicos ſub utraq; ſpecie eſſe communicandos, aiens eſſe contra ſcripturam aliter facere. Quaſi uerò ullibi hoc ita faciēdum eſſe ſcriptura præceperit. Aiunt,*CHRISTVS *ipſe ita fecit. Nunquid ergo hoc ipſum mandauit,ut & nos ui præcepti ita faceremus? Cur igitur non circunciduntur,quia* CHRISTVS *eſt circunciſus? quanquàm audio quoſdam etiam hanc fatuitatem tentaſſe, ut renouarent circunciſionē.* CHRISTVS *item comedit agnum paſchalem,& poſt cœnam communicauit. Nunquid ergo & nos ſimiliter debemus ſeruare? O proteruam malignitatem.* De capti. Bab.

Adhæc,ſi hoc fieri ſatius eſſet, Nunquid eſt laicorū hoc diſcernere, aut extorquere? ac non potius paſtoribus conſentire, & iudicium Deo *remittere? cum ouiū ſit paſci,non autem paſcere. quod & hic homo aliquando minus inſanus admonuit. Quin etiam amplius ita ſcripſit.* Non *dixi,neque conſului,nec eſt intentio mea, ut unus, aut aliquot epiſcopi propria autoritate incipiant alicubi utramque ſpeciem porrigere,niſi ita conſtitueretur ac mandaretur in concilio generali. hæc ille,ut dixi,antequam in phreneſim incidiſſet. At poſtmodò rurſum.* Conſultum,*inquit, mihi uidetur ut non modo per concilium, ſed per quancunque diœceſim quilibet epiſcopus, etiam inuito* Papa,Chriſtum *ſequutus in* In declaratiōe euch. In Aſſer.

euangelio, rurſus utramq; ſpeciem laicis daret. Deni-que ut animi malignitatem perſpiceres, ſcripſit (ut primo libro iam notauimus) quòd & ſi quo caſu concilium ſtatueret hoc, uidelicet, utraque ſpecie eſſe communicãdum, tunc primùm in deſpectum concilij, ipſe uellet aut utra tantum, aut neutra, & nequaquàm utraque potiri; ac planè eos anathema habere, quicunque autoritate talis concilij potirentur utraque. Sunt & plura quæ ſtultè & phanaticè de hoc ſacramento effutiuit hic hæreticus, ut quòd nemo poßit ſua manu ſacerdos communicare ſeipſum. Item q, ad ſumendum nulla præparatio alia exigatur, niſi fides: Imò tunc magis eſſe hominẽ ad hoc ſacramentum ſumendum idoneum, quùm fuerit peccatis onuſtior. & alia huiuſmodi.

De formula miſſ.

In Aſſer. art. 2.

Vnum hic eſt magnoperè cauendum, ne putent imperiti, quia CHRISTVS ſub utraque ſpecie ſemel dederit Euchariſtiam diſcipulis ſuis, iccircò hoc dediſſe pro regula, cum habeamus (niſi proteruire uelimus) quòd diſcipulos euntes in Emaus, ſolo illo pane benedicto participauit, ut etiã ſuo exemplo quid fieri poſſet, manifeſtaret. Quòd aũt hoc uerißimum ſit, ex euangelij uerbis facilè colligitur. Ibi enim dicitur, quòd Dominus accepit panem & benedixit, & fregit, & porrexit eis. Hic nihil aliud deeſt ad ſignficandam Euchariſtiam, quàm q, non narratur dixiſſe, Hoc eſt corpus meum; Id quod tamen à facto ipſo poterant intelligere. Nã quando unquàm ſcribitur Dominum benedixiſſe, & inde nõ aliquid magni miraculi fuiſſe ſtatim ſubſequutum diuinæ operationis? Quando enim multiplicauit panes, le-

Luc. ult.

gitur ſimiliter feciſſe: quod etiam factum hoc myſteriū ſignificauit;ſed non omnes capiunt hæc. Denique ut de re ipſa concludam,ſeditioſiſſimum omninò fuit,& ad iniuriam Dominici ſanguinis excogitatum dogma,neceſſariam eſſe omnibus ſumptionem ſanguinis ſacramentaliter,cum periculum immineat effuſionis, & nihil minus ſuſcipiant,qui alteram tantū ſpeciem ſumunt, cum in corpore etiam ſanguis contineatur. Verùm & hac de re quæſtionem facio alibi fuſiorem. Matth.4.

De ſacrificio.

AD euertendum quicquid Dominus ad applicationem ſalutis nobis parauit atque prouidit,hic filius perditionis cæpit primùm inficiari ullum eſſe in nouo teſtamento ſacrificium uiſibile, atque externum. Vnde ipſum etiam ſacerdotalem ordinem indignis modis irriſit,ac prophanauit his uerbis. Manifeſtus & impius error eſt,Miſſā pro peccatis, pro ſatisfactionibus,pro defunctis,aut quibuſcunque neceſſitatibus ſuis,aut aliorum,offerre,ſeu applicare. Vnde & contra ſemetipſum,edoctus(ut ipſe fatetur)à cacodæmone ueritatem, ita ſcripſit. Maxima mea peccata ſunt, quòd tam ſanctus fui monachus, ac tot Miſſis Dominum meum per annos quindecim grauiter offendi. hæc ille. Nec deterritus quò minus hoc effunderet adeò peſtiferum dogma, à tantis præiudicijs,quanta uidit aduerſum ſe militare, auſu improbiſſimo molitus eſt etiam reſiſtere conſuetudini uetuſtiſſimæ omnium eccleſiarum, quam omnes ueteres S. Patres perſanctè obſeruauerunt,ita ut omnes eccleſiæ Aſiæ,& Affricæ, & Lybiæ, & Europæ,

De capt. Bab.

In li.cōtra Zuingliū & Oecolāpad.

denique cunctæ prorſus quæ fuerunt & ſunt, hunc ſacrificandi modum, ſicut acceperunt, ita ſemper religioſiſsimè ſeruauerunt: & qui ſe continuerunt aliquo modo in fide, etiam ſeruant, Indi, Æthiopes, Armeni, Græci, Dalmatæ, Itali, Britanni, Galli, Hyſpani, denique qui non? niſi iſti noui ſacramentarij, & Lutherani? Quæ ſola tanti temporis, & tam bonæ fidei præſcriptio, non poteſt, niſi amentibus & excæcatis, non perſuadere. Et nihilominus aduerſus hanc adeò munitam arcem procedens hic uir, & immaniſsima atque effreni ſuperbia fretus, auſus eſt primum in hæc doloſa uerba prorumpere. Quicquid è ſcripturis autoritatem non habet, manifeſtiſsimum eſt ex Diabolo eſſe. Et cum in illum obijceretur tanta eccleſiarum, tamq; generalis & diuturna ac concors conſuetudo, ac tot & tantorum Patrum, Doctorum, Decretorum, Pontificum, & ſacroſanctorũ conciliorum autoritas, Ipſe (ut iam uidimus) nihil inde commotus, in illam uiperarum infernalium uocem erupit, uidelicet S. Patres ad hunc uſque diem à Diabolo fuiſſe deceptos, ut inducere poſſent, ſi fieri poſſet, ſuis prodigijs ac ſignis in errorem etiam electos. Quid autem poterat peruerſius dici? cum quod de pſeudochriſtis & pſeudoprophetis dicebat Dominus, iſta diabolica & ſerpentina lingua ad Sanctos Dei tranſtulerit, ſcilicet autoritate Satanica, qua ualebat? Qui igitur huic tanto gyganti iam poßit reſiſtere, qui unicus tandem electus eſt poſt mille quingentos uiginti annos, ad liberandam eccleſiam ab idolatria per ſuum purum (ut uocat) euangelium? O tenebras pluſquam Aegyptia

De abrog. miſſæ.

De Can. miſſæ.

caſ,quæ manu ualeant ab omnibus contrectari. Et uide,obſecro, hominis furorem plenum inſipientia: Ipſe Bohemos *&* Græcos *iam uult eſſe catholiciſſimos.* Et *ipſe idem nihil magis damnat in eccleſia* Rom. *et alijs, quæ ſe illi ſubijciunt,quàm ſacrificium.*Et *tamen ipſi et* Bohemi *&* Græci *ſacrificium confitentur, & faciunt. Quis hic illum in re tam aperta ualeat aut defendere, aut excuſare?*

Forſitan *dicet mihi aliquis hoc in loco.* Non *defendimus in his* Lutherum:*ſcimus enim hominem præcipitem,ſæpe ſui non fuiſſe compotem.*Verùm *tu quomodo interim illius argumentis,quæ tam ualida uidentur, ſatisfacis?* Reſpondeo *primùm ſicut* B. Aug.*de* Pelagia*norum argumentis:ille enim ſic ait.*Ego *autem & ſi refellere iſtorum argumenta non ualeam,uideo tamen inhærendum eſſe his, quæ in ſcripturis ſunt compertiſſima.*Ita *dico tibi,amice lector.*Et *ſi uel ego,uel tu,neſciremus illorum argumentis reſpondere, prudentiſſimè tamen ſtatuerem, atque tibi & omnibus conſulerem, non eſſe proptereà recedendum à ritu tam firmo,ac tantis teſtimonijs roborato,uel ob id ſolùm,quòd in prouidentia* Dei *fundatur.* An *quæſo,*Deus,*cuius eſt immenſa erga eccleſiam ſuam bonitas,& tam benigna promiſſio,& cuius oculum nihil latere poteſt,permiſiſſet illã tanto tempore, & præſertim in cultu ſui,adeò pernicioſè aberrare, ut tãtam,quantã iſti uolunt,per ignorãtiã permitteret idololatriã,& tãto tẽporis ſpatio,totq; ſæculis? ac proptereà innumerabiles amicos,& ſanctos ſuos dilectiſſimos, paſſus fuiſſet eſſe tam abominandos*

idololatras,ut nullibi uerus cultus appareret, & hoc, ut dixi, tot ſæculis uſq; ad hanc noſtram ætatem, quos tamen tantis donis decorauit, ut ſignis admirandis, & inſignibus prodigijs claruerint? Quis enim donet unquàm amico magna dona, & uidens eũ ruere in præcipitiũ,non protinus admoneat ne incautus ruat? Quis autem fuit iſte Lutherus, & quibus clarus prodigijs, quibus ſignis probatus, in quem ſolum de cælo ueniſſe Spiritum ſanctum credibile ſit, ut uideret primus eſſe tantam,ut uocat,in eccleſia Dei idololatriam? præſertim cum multis retrò actis annis ipſe cum reliqua eccleſia idem ſentiret,atque ſeruaret. Quid ergo ſibi cœlitus accidiſſe mõſtrauit,ut tam repentè ſic mutaretur? Si ſcripturis nititur,nonne anteà erat ſcriptura? Si claram ſcripturam hac parte dicat,quomodo tantam claritatẽ ipſe ſolus uidit,quæ tamen etiã illũ tandiu latuerat? Reſtat ſolùm,quòd iſta nudis uerbis aſſerit. At nos non Luthero,qui ſolùm dicit & nihil probat,ſed eccleſiæ ſpiritum ueritatis promiſſum legimus: hunc autem iam certò nouimus factum ſchiſmaticum, hæreticum, apoſtatam,& ſacrilegum,& quicquid tandem Satanicum eſt, & (ipſomet teſtè) à cacodæmone de hac re admonitum fuiſſe atq; inſtructum. Illi igitur credendum cenſebimus,et ſi mille uideretur argumentis apparentibus rem ſuadere? Abſit. Et hæc quidẽ dicere poſſem, ſi argumentis eius reſpondere neſciremus. Similiter quoque prudenti lectori conſulerem,ut captiuum red-
1. Cor. 14. *deret intellectũ in obſequium fidei, ut qui ignorat igno-*
Rom. 12. *ret,ſalueturq; in ſua ignorantia; & non plus uolens ſá-*

pere, quàm oporteat ſapere, ruat in ſapientia ſua, neve circumuĕtus à Satana, ſcientiam Deorũ quærens ſup plantetur ab illo, ſicut accidit hac tempeſtate innumerabilibus curioſis. Verùm, Deo *gratiæ ſint, quòd non uſque eò ualida ſunt eius argumenta ut ijs facilè reſpon deri non poſſit, & oſtendi eorum deceptiones. Sed non eſt hic locus, nec proprius huius quæſtionis tractatus, qui paulò eſſet longior. Hac de re proprio libello etiã nobis placuit diſſerere, eò quòd huiuſmodi quæſtio non nullas ſecum afferat difficultates & aporias, & in earum reſolutione plurima (ni fallor) iucunditas reſultat pari cum utilitate coniuncta.* Nunc *illud ſit ſatis piò lectori ſi, ut iam dictum eſt, hoc ſalutare præceptum re tineat, nullo quantumuis apparenter ualido argumento* Lutheri, *recedendum eſſe à ritibus eccleſiæ catholicæ, tanto præſertim uſu roboratis, ac tot ac tantis ſeculorum teſtimonijs confirmatis & comprobatis: neq; quouis modo in eam horribilem & abominandam cogitatio nem uenire, plenam blaſphemiarum, quòd* Deus *uolue rit per ſuos amicos & ſanctos uiros ſeducere eccleſiã ſuam.* Hoc *enim eſt quod nõ* Lutherus, *ſed cacodæmon* Diabolus *per* Lutherum *euomuit.*

De Canone Miſſæ.

QVæ *autem cõtra Canonem Miſſæ ſtolidè, ſophiſticè, ac mirum in modum ridiculè effutiuerit, non eſt hic dicendi locus: ſeruatur hoc proprio libello.* Iam *audiſti uiri huius blaſphemiam, quam ad horrorẽ & oſtentum filij iſtius impietatis, iterum recenſebo: hæc eius uerba.* En *tibi, inquit, ſacrum canonem, ut ſcias*

quidnam ſit, & obſtupeſcens cruce te ſignes, fugiasq; ab eo haud ſecus atq; à Diabolo, *& abominatione peſſima. hæc ille in canonem, quem* S. Patres Spiritu *ſancto citra dubitationem afflati, condiderunt, & innumerabiles ſacerdotes pleni ſanctitate ac ſpiritu, multis retrò ſæculis ad* Deum *orantes, & quotidie commemorantes, ſumma cum deuotione ac pietate pronunciant.* Et *hic eſt idem ille canon, quem ab initio idem ipſe* Lutherus, *ut rem diuinam, magnificis extollebat laudibus. Quamobrem etiam in fauorem populi, ut materna lingua pronunciaretur, curauit. Sed ex re diuina, facta eſt illi poſtmodò idololatria & abominatio.* Et *hanc perſuaſionem à* Dæmone *ſibi factam eſſe non dubitat confiteri.* En *igitur tibi totius religionis deſtructor ac profligator.*

In ſerm. de nouo teſtamento.

De ſacramento pœnitentiæ.

C*Onſiderans inimicus noſtræ ſalutis, quòd animæ à ſuis faucibus per hoc ſalutare ſacramentum eruantur, hunc miniſtrum ſuum cum ſuffraganeis ſuis, qui illud, quantum poſſent, conuellerent & euerterent, excitauit. Sciens ergo primùm iuxta eccleſiæ ſenſum, hoc pœnitentiæ ſacramentum in tres partes diſtingui, contritionem, uidelicet, cōfeßionem, & ſatisfactionem: hunc articulum aſſerit* Lutherus *non habere fundamētum in ſcriptura, nec in antiquis* s. Doctoribus.

In articu. damna.

Et *de contritione, bone* Deus, *quid auſus eſt aſſerere? dixit enim. Contritio quæ paratur per collectionē, diſcußionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos in amaritudine uitæ, ponderando pecca*

In ſer. de pœnitētia

torum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſsionē æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem. hæc ille. Et *in ſumma, hæc eſt (ſi recte conſideretur) eius de contritione doctrina, ut nihil de illa conſideretur, ſed ſolùm hoc, ſi credat homo ſibi eſſe remiſſum peccatum, erit remiſſum, ut nihil aliud ſit à peccatore requirendum: quoniam reliqua aut ſponte ueniunt, aut non neceſſaria ſunt.* Quo *dogmate nihil puto eſſe inſanius, neque pernicioſius, ac minus dignum cui reſponderi debeat, cum habeat uniuerſam ſcripturam, & ſanctorum doctrinam, & perpetuum uniuerſæ eccleſiæ uſum, ſibi aduerſantem; cum ſcriptum ſit.* Cor *contritū & humiliatum* Deus *non deſpicies.* Verùm *quia multi abundè de hac re ſcripſerunt, & nos alibi nonnihil; hic ſilebo, præſertim cum ipſe nihil probet, ſed ſolum effutiat.* Pſal. 50.

De *cōfeſsione ſimiliter, cum multa uariè & perniciosè iactaſſet ſecum non conſtans, concluſit tandem, ꝙ nullo modo ſunt confitenda uenialia peccata: mortalia uerò non omnia, ut aliquid ſeruetur miſericordiæ* Dei. Inreſol.
Occulta *enim cordis prohibet confeſsione manifeſtari.* Sed *in his etiam non conſiſtens, auricularem confeſsionem, quam aliquando in cœlum efferebat, prorſus è medio ſuſtulit, dicens eſſe fictionem hominum.* Dixerat *tamen aliquando in lib. cap.* Baby. Confeſsio *auricularis, et ſi è ſcriptura probari non poſsit, utilis tamen eſt, imò & neceſſaria.* Et *rurſum:* Nolo, *inquit, ut quiſquis mihi confeſsionem tollat, nec uelim meam pro totius mundi* De decem leproſis. In ſer. Dominic. Reminiſcere.

theſauris dare: imò iampridem interemptus eſſem, ſi me non conſeruaret cõfeßio. Ibidem tamen rurſum ait: *Qui habet fortem ac firmam fidem quòd dimiſſa ſunt peccata ſua, is poteſt hanc confeßionem omittere, & ſibi ſoli confiteri.* Et ibidem tandem concludit: *Nolo confiteri, ob id ſolummodò, quòd* Papa *præcepit, & fieri uult.* Et alibi de capt. Baby. *Omnibus & ſingulis chriſtianis, etiam mulieribus, dictum eſt. Quodcunque ligaueritis ſuper terram &c. & abſoluitur quiſquis etiam ſic confeſſus fuerit mulieri.* O *truffatorem, et miniſtrũ ueræ* Babylonicæ *captiuitatis.* Ecce *pie lector habes huius hominis de confeßione doctrinam, quam & ſui perplexitate, improbitate ac rabie, arbitror ſeipſam magis expugnare, quàm poßit alius quiſquàm quauis oratione.* Illud *me angit & ſummoperè torquet, quòd cauſſã (licet iniuſtam) carni tamen nimium plauſibilem ſuſcepit.* Valdè *enim durum eſt homini ſuapte natura ſuperbo, & ſuiipſius amanti, ſuam turpitudinem confiteri.*

De *ſatisfactione ſimiliter, cum primò illam probaſſet, &* partes *eius dixiſſet ieiunium, orationem, eleemoſinam, adiecit in Aſſerti.* (In reſolut. conclu. 3.) *Sancta mater eccleſia pro affectu præuentura manum* Dei, *caſtigat filios ſuos ſatiſfactionibus quibuſdam, ne incurrant flagella* Dei. Ibidẽ *autem articulo 5. ſic ait.* Vehementer *odi, & ſublatum uellem hoc uocabulum, ſatisfactio, quod non modo in ſcripturis non reperitur, ſed & ſenſum periculoſum habet.* Denique *ubi contra ſatisfactionis opera inuehitur ipſe, & cuncti alij noui hæretici, errorum magiſtri, cõtra maniſeſtißima teſtimonia ſcripturarum: quæ*

hic longum eſſet recenſere, ſolum David *regis exem-plum,& Nabuchdonoſor,ſatis eſſe deberet,præter ſententias innumerabiles omnium ſanctorum,ad retundẽdum illos.Quæ cum ita ſint,iſti tamen noui fiduciarij iccircò in hoc multos inuenerunt plauſores ſibi,quoniam plurimi ſunt qui libenter omne ſuum debitum in humeros* CHRISTI *reijcere cuperent, non ſatis habentes quod pro eis in baptiſmo eorum* Dominus *recepit ac ſoluit.*Verùm *de his ego alibi diffuſius diſſero:quoniam ad omnia iſtorum ſophiſtica diluenda, quæ ingerunt ſciolis ad illaqueandũ,longiore tractatu eſt opus.*

De ſacramento ordinis.

Q*Vantis cõtumelijs,imò blaſphemijs,hoc ſacramẽtum affecerit, piget referre, præſertim quòd hic nullam affert contra illud,præter eas,quæ ſuperius tractatæ ſunt,inualidas ratiões,quarum præcipua eſt, quòd nihil de illo in ſcripturis habeatur, mentiens in caput ſuum,cum* B. Paulus *iuſſerit* Timotheo *&* Tito *ut ordinarent præsbiteros,epiſcopos, & diaconos per manuum impoſitionem.* Vnde *& ſeptem diaconorum ordinationem ſcriptura nobis enarrat.*Et *ita ſeruatum eſt à ſæculis,ut omnis teſtatur ætas: &* B. Dionyſius Areopagita *tradit.*Prætereo *cõciliorũ doctrinas et* De*creta,quibus hæc abundè probantur.Quo fit ut omnia hæc,quæ cõmentus eſt* Lutherus *cõtra ordinem ſacrũ, & hierarchiam eccleſiaſticam, mera ſint & Satanica conuicia,& blaſphemiæ:ſunt autem hæc eius dogmata.*

In epiſt.ad Timot. & Titum. Act.6.

Sacramentum ordinis eſt adinuentio humana, quã eccleſia CHRISTI ignorat.

De capt. Bab.

De abro. miſſ. Epiſcopi moderni ſunt laruæ oleatæ, nullo iure diuino inſtituti.

Ibid. Ego'ne illa idola raſa & olenta ullo dignos cenſeam honore?

De capti. Bab. Præſtat publicum lenonem, aut latronem eſſe, quàm ſacerdotem papiſticum.

Status clericalis ſecundum euangelium non diſtinguitur à ſtatu laicali per aliquam ordinationem ſacramentalem, ſed per aliquam adminiſtrationem, qua ablata, clericus fit laicus, ſicut erat prius.

Miniſterium ſacerdotale & clericale omnibus fidelibus conuenit.

Cleri inſtitutio per populares fieri debet, ſimiliter & deſtitutio.

Vide ergo pie lector, ſint'ne hæc puri hominis commēta, an potius Diaboli? *Et memento de ſcriptura hiſtoriam, quæ ait.* Gene.46. *Deteſtantur Aegyptij omnes paſtores ouium. Cur autem hoc, niſi ut ipſi lupi deglutiant, & deuorent miſeras oues? Conſidera etiam quòd hic hæreticus inimicus eſt olei & unguenti, ut odium in chriſtianitatem oſtentet. Quid enim eſt* CHRISTVS, *niſi* Pſal.44. *unctus oleo gratiæ & exultationis præ participibus ſuis? Alioqui ſi diligeret charitatem, quomodo poterat odiſſe ſignificationem?*

De matrimonio.

C*Irca hoc matrimonij ſacramentum multipliciter peccauit homo iſte non iam ſceleſtus, ſed ipſum ſcelus, primò negans illud eſſe ſacramentum:* Deinde De capti. Bab. *propria autoritate faciens legitima matrimonia, quæ uel ſacrilega, uel inceſtuoſa, uel contra canones ſunt cōtracta. Et ita (ſicut erat conſequens) id quod erat ad lau*

dem matrimonij, ut diceretur eccleſiæ ſacramẽtum, om nino negauit. Quod uerò erat ignobile & impudicum, & prorſus funeſtũ, cõſeruauit, et auxit. Conatus eſt.n. extollere matrimoniũ etiã ſupra caſtitatẽ et uirginitatẽ. Fauit tamẽ et diuortijs, cõtra CHRISTI uerbũ, pro pria ſua autoritate ſic ſtatuens. Vir qui ab uxore ſua diuortiatur, facultatem habet contrahendi cum alia: ſimiliter mulier diuortiata à marito, niſi interdicatur illi qui, uel, quæ cauſſã præſtitit diuortio. hæc ille. Monachos item & ſacerdotes fecit maritos. Pluralitates uxorum, & quicquid denique infandum eſt prorſus et abominandum, introduxit. Hoc uerò in loco dum conſydero quòd Mahumeticæ ſectæ cæpit aptare ſuos, neſcio nũ aliquid futuri mali hoc præſagiat: quod omen Deus auertat. De inceſtuoſis quoque copulis quodam in loco ſtatuit in hunc modum. Dico, & quod in me eſt facio, rogans & monens omnes ſacerdotes & fratres, ſi uiderint aliquod impedimentum, in quo Papa poteſt diſpenſare, & quod non eſt in ſcriptura expreſſum, ut prorſus ea omnia matrimonia confirment, quæ contra eccleſiaſticas leges, uel Pontificias, fuerint quoquomodo contracta. Arment autem ſe lege diuina dicente: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. hæc ille. Ego uerò hic econuersò moneo ut conſyderent, utrũ, qui huiuſmodi autoritate coniunguntur, hoc eſt, Lutherana & conſequenter ſchiſmatica, & hæretica, ſint à Deo coniuncti, ut ſeparari non ualeant, An à Diabolo potius: & diſcãt quod ſcriptura nõ ait. Quos Lutherus, aut, quos Diabolus, ſed quos Deus cõiunxit, hõ ſeparare nõ põt.

Matth. 5.

De capti. Bab.

De unctione extrema.

INuidus Diabolus etiam exeuntibus ex hac uita ſaluberrimum auxilium extorquere conatus, ſubornauit hunc ſuum apoſtolum, ut & hoc extremæ unctionis ſacramentum deteſtaretur, & blaſphemaret, his uerbis. Si uſquam deliratum eſt, in extrema unctione nunc præcipuè deliratum eſt. Poſſet hæc poſitio ad uerum ſenſum trahi, ſi ad eos reflectatur qui uerè delirant recedentes à regulis & ſententijs s. Patrum, nulla uel autoritate, uel ratione moti, ſed perfidia duntaxat & arrogantia freti. Et ideò non præbent nobis negocium aliter reſpōdendi, cū non rationibus agant, ſed (ut ſæpe dixi) hæretica autoritate pronūcient. Quare id iure noſtro poſcimus à cunctis, qui mentis non amiſerunt oculos, ne uel perfidia religioni, uel arrcgantia apoſtolicæ autoritati præualeat, præiudiciumve faciat. Quod uerò adiungit, *hoc ſacramentum eſſe figmentum Papiſticum, & inuentum ad exhauriendum marſupium*, prò ſuo more loquitur & ex proprijs, ſicut pater eius. Hoc enim ſacramentum ex Apoſtolica doctrina receptum eſt, ut omnes uerè Sancti & Catholici tradiderunt, ſicut primùm elicitur ex B. Marco, qui huius quædam præludia cōmemorans, ſignificauit quòd Apoſtoli ungebant oleo infirmos. B. autem Iacobus apoſtolus hoc iam perfectum ſatis euidenter, uelint, nolint, nobis declarauit, ſicut ſanctiſſima concilia tradiderunt quàm apertiſſimè. Videat qui uelit.

De capt. Bab. — Mar. 6. — Iac. 5.

Summa errorum Lutheri in articulo iuſtificationis, & circa fidem & opera.

ERrores in hoc articulo lutherani, peſtilentes atq; horribiles, hi ſunt. Baptiſmo nō tolli peccatū, ſed ſolam imputationem. Solam fidem ſufficere ad ſalutem. Opera nullo modo iuſtificare. Euangelium pugnare cū lege. Deum impoßibilia præcipere. In omni opere bono iuſtum peccare: ita ut dicat. Conſtanter dicimus etiā orando peccare iuſtum, iuxta illud. Et oratio eius fiat in peccatum. Quo in loco quis non exclamet. O fili Diaboli, qui Iudæ orationem habes pro oratione iuſti. Ex eadem radice procedit & illud. Omne opus optimè factum eſt peccatum, & mortale quidem, niſi miſericordia Dei fieret ueniale. quanquàm alibi inter ueniale & mortale nullum diſcrimen ponat, ſed dixerit: Theologi, qui differentiam inter ueniale & mortale docent, ad inſaniam perditiſsmè nituntur trahere conſcientias hominum. Adiecit miſerrimus hominum, quòd homo chriſtianus continuò per gratiam CHRISTI liberatus eſt à lege Dei. Vnde dixit, Decem præcepta non pertinere ad Chriſtianos, ſed ad ſolos Iudæos. Item, Non eſſe aliquid in euangelio præceptum à Deo. Et alibi. Opera Deus nihil curat, nec eis indiget. Et alibi. Opera nihil omninò ad ſalutem, aut iuſtitiam ualent. Et in comment. 2. cap. ad Gala. Sola fides CHRISTI neceſſaria quòd iuſti ſumus: cætera autem liberrima, neque præcepta, neque prohibita. Item in lib. de libert. chriſtiana. Chriſtianus liber eſt ab omnibus, & ſuper omnia, ita ut nullis operibus indigeat;

In ſer. de aſc. do.

Ibidem.

In ſer. de Moſe.

In præf. ad nou. teſta.

ad hoc ut iuſtus ac ſaluus ſit, ſed ſola fides hæc omnia largitur abundè. Item *in lib. de capt.* Bab. *Nulla peccata poſſunt hominem damnare, etiam ſi uelit, niſi ſola incredulitas.* Et *in ſerm. cōtra* Karolſtadium, *ait nullum eſſe peccatum, niſi incredulitatem: nullam iuſtitiam, niſi fidem.* Item *alibi.* Opera *quæcunque ante charitatem facta, ſunt peccata & damnabilia, & indiſponentia ad gratiam.* Hic *articulus falſiſſimus eſt, quòd attinet ad opera de ſe, & ſuo genere bona, ad quæ* Deus *interius etiam peccatorem inſpirat.* Alioqui *dicere oportet, q, obediens* Deo *inſpiranti damnabiliter peccet: quod eſt non tam falſum, quàm ſimul ſtultum dictum.* Alibi *dixit.* Opera *nihil ſunt, aut ſunt omnia æqualia, quantum ad meritum attinet.* In *hoc ſe uel hæreticum prodit, uel ſtoicum,* Alibi *dixit,* Omnia *debet operari homo pro alijs, & non pro ſe: quia ſolùm alijs uiuit, nō ſibi.* Quid *hoc dogmate ſtultius?* B. Paulus *docet* Timotheum *ſuū,*
1. Timo. 4. Attēde *tibi, inquit, et doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* En *ut primùm ſuam ipſius, deinde aliorum ſalutem pro*
Ad Philip. 2. *ponit.* Et *alibi:* Operamini, *ait, ſalutem ueſtram.* Sed *ſtultus ego qui lucem illuſtrare cōtendo.* Mitto *igitur alia plura huius generis, quæ ſi ſimul coniuncta receperimus, profectò facilè ad inſaniam redigemur.* Recipiemus *enim quòd omnis chriſtianus in omni ſuo actu peccat, quēadmodū ipſe ponit.* Et *rurſum, quòd nullus chriſtianus in quouis actu ſuo poteſt peccare: quia, ut ait, non eſt lex chriſtiano, ſed liber eſt ab omnibus.* Vbi *autē non eſt lex, nec præuaricatio.* Qui *igitur poteſt ca-*

pere

pere, capiat. Adhæc, Si nullum eſt in euangelio præceptum, quid eſt ergo quod ait Dominus: Hoc *eſt præceptum meum, ut diligatis inuicem?* Et *quomodo diceret* Apoſtolus: Præcipio, *non ego, ſed* Dominus? *Iſte dicit ſe per* CHRISTVM *ab omni lege eſſe ſolutum per fidem,* Et CHRISTVS *ipſe ait:* Non ueni *ſoluere legem, ſed adimplere.* Et B. Paulus: Legem ergo deſtruimus *per fidem?* Abſit. *Sed legem ſtatuimus.* Et *alibi.* Factus *ſum ijs qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cum ſine lege non eſſem, ſed in lege eſſem* CHRISTI. *Vnde & D. Auguſtinus hanc tantam lutheranam audaciam poſſe contingere uix credere ualens, contra illam in hunc modum præſcripſit.* Volo *ſcire ſi quis mihi dicere audeat, utrum lex fidei non dicat:* Non *concupiſces? Si enim non dicit, quid eſt cauſſæ cur non in ea poſiti ſecuri atque impunè peccemus? hoc enim & illi putauerunt* Apoſtolum *dicere, de quibus dicit.* Et *ſicut dicunt quidam nos dicere:* Faciamus *mala, ut ueniant bona. hæc ille.* Nolo *autem lectorem ignorare, has perplexas & immaniſſimas poſitiones, quæ neque ſecum conſiſtunt, multis illum in locis, & uarijs uerbis repetere, & amplificare.* Vnde *quodam loco ait.* Sola *ultima duo* Decalogi *præcepta ſunt, quæ à nullo quocunque ſancto aliquo modo implentur.* Cætera *omnia implent, ſed in his duobus manēt rei & peccatores: quia nihil de iſtis implent.* Et *alibi in lib. de ratione confitendi ait:* Peccata *contra duo ultima præcepta non habent rationem peccatorum.* Et *ideò de his dixit in* Aſſert. *quòd talia peccata nō ſunt confitenda,*

Ioan. 15.
1. Cor. 7.
Matth. 15.
Rom. 3.
1. Cor. 9.
De ſpiritu & ſrā. c. 13.

ſed prorſus excludenda a confeßione: quia magis habēt rationem affectionum & paßionum, quàm peccatorū,
Matth. 5. *cum tamen Dominus dixerit. Qui uiderit mulierem ad concupiſcendum eam, mechatus eſt in corde ſuo. Quis autem non afficiatur ſummo faſtidio, ſi hæc oporteat confutare adeò perplexa, atq; euertentia ſemetipſa? Addidit. Omne præceptum Dei magis eſt poſitum ut oſtendat præteritum, & præſens peccatum, quàm ut futurum prohibeat. Siquidem iuxta Apoſtolum, Per legem nihil, niſi cognitio peccati. Nota iterū perplexa hominis. Si lex non prohibet peccatum, quomodo ergo conſtituit ullum reum peccati? O deceptorem. Vide lector in quantis iſte decipiat. Apoſtolus non dicit: Per legem non niſi cognitio peccati, ſed dixit: Per legem cognitio peccati; & de lege Moſeos, non*
Rom. 3. *de lege gratiæ loquebatur: quia lex gratiæ eſt extinctio peccati. Iſte autem hæreticus hic & alibi, quod dicitur de lege Moſeos, quæ non erat ex fide, trahit ad legem* CHRISTI, *quæ eſt ex fide. In quo plurimi inuoluuntur: quanquàm enim illius legis Moſeos officium erat prohibere futura peccata, ſicut & ad omnē legē hoc pertinet, Erat et nihilominus oſtēdere homini infirmitatē, ut iret ad* CHRISTVM *medicum, & ſanaretur per illum, ſanatusq; (illo aßiduè adiuuante)*
De liber. christiana *impleret mandata. Pergit ille & ait: Bona opera non ſaluant nos, mala non damnāt, ſola gratia ſaluat. Quid his pugnantius? mala opera dānant, & non damnāt? Et quid peruerſius, Tam peccata, quàm bona opera damnāt nos? Adiecit. Nulla res tam bona, nulla tam ma*

la,quæ non mihi in bonum conuertatur,ſi modo credi-dero.Si dixiſſet, Modo fuerim electus ſecundum pro-poſitum Dei,ac prædeſtinatus, idem quod Paulus,di-xiſſe uideri poterat:ait enim B. Paulus. Quòd omnia cooperātur in bonum ijs qui ſecundum propoſitum uo cati ſunt ſancti. At non omnes qui credunt, tales ſunt, ò hæretice.Sed audi reliqua pauca,tu bone lector:pro concluſione.n.dixit. Doctrina operū fit neceſſariò do-ctrina Dæmoniorū.Item: Caueamus à peccatis,ſed ma gis ab operibus bonis è legibus,ſolâq; promiſſionē Dei attendamus & fidem. Ipſa enim breuis eſt perfectio, nec aliqua lex requiritur nec opus, imò & legem pro ſcindit & opus,omnes leges,omniáq; complet opera: hæc iſte,quem meritò ob iſtam cauſſam uocare poſſu-mus exlegem. Denique adiunxit. Quantò ſceleratior es,tantò citius Deus gratiam infundit. Si autem ador-nes te,ut catus,bonis operibus ut te Deus acceptet, ni hil efficis.hæc ille,quibus ſi quid ſceleratius, & quod magis placeat Diabolo,prædicari poßit, tu ipſe cogi-ta: ego enim non uideo.

Rom. 8.

In lib. de nou. teſta.

n ſer. del piſc. Petri.

At hic dicet mihi aliquis. Emendarunt poſteà ipſi-met Lutherani hanc tan furioſam doctrinam: quoniā opera prædicant,et confitentur habere mercedem ſuā. Reſpondeo(ut iam dixi)eos cauilloſè, obſcurè, inuolu-tè,perplexè loqui,ut non queas ſatis intelligere, niſi q tandem in id conueniunt,ut non ſit meritū uitæ æter-næ bonis operibus,ſed ſolùm merito CHRISTI *obti-neri,quod (ut aiunt) ſola apprehenditur fide. At hoc eſt quod damnat piorum eccleſia, Et quod nouiſsimè*

S. Synodus Tridētina anathemati ſubdidit. Mitto dogma de prædeſtinatione: & quòd aiunt ſcire ſeſe in numero prædeſtinatorum eſſe, & habere certam quandam ſuam peculiarem fidem, qua certi fiunt de uita æterna; quia illám concomitantur de neceßitate opera bona. Mitto & alia concomitantia hæc, quæ nullus unquàm Theologorum non ignorauit, ut ſit beatus Lutherus qui tam beatificam mundo attulit doctrinam, & beati qui de illius ſpiritu uel paululum hauſerint. Apagè autem à me, & ab amicis meis hæc infœlix beatitudo.

Summa doctrinæ catholicæ de iuſtificatione.

S*cito igitur (quòd ad hanc rem attinet) iuxta catholicam ueritatem, optime lector, tres eſſe euangelij partes principales. Prima eſt uocantis eos qui foris ſunt, nondum renati in* CHRISTO, *ſed adhuc filij ueteris hominis, & mancipia Diaboli, quos alloquitur euangelium, primùm docens quòd omnes apoſtatauimus à* Deo *in primo parente:* Deinde *ſignificans cogitationes* Dei, *cogitationes fuiſſe pacis, & non afflictionis, ut afflictis adderetur afflictio:* Tertio *ergo habet pollicitationis uerbum de inſtauratione ac redemptione generis noſtri per* CHRISTVM, *unde inuitat omnes ad redeundum in uiam ueritatis & pacis, à qua longè declinaueramus omnes, unde ait* Dominus. *Qui natus eſt ex carne, caro eſt. Caro & ſanguis non poteſt poßidere regnum* Dei. *et. Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Niſi ergo quis renatus fuerit ex ſpiritu, nō poteſt introire in regnum* Dei. *Ego ſum regnum* Dei:

Hæc oĩa ex euangelij ſumpta ſunt.

& ego oſtium,per me ſi quis introierit,ſaluabitur. Venite ergo ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis, & ego reficiam uos. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum. Si ergo uos Filius liberauerit,uerè liberi eritis. Vos ex patre Diabolo eſtis,& ipſe eſt princeps huius mūdi;ſed uenit fortior illo, qui eripuit uaſa eius, & iam diſtribuit ſpolia,& eiecit eum foras. Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Si non credideritis in me, moriemini in peccato ueſtro. Reſipiſcite ergo,& credite euangelio: Niſi credideritis, moriemini in peccatis ueſtris. Hæc eſt prima pars euangelij,quæ oſtendit omnes homines alienatos a Deo, & peccatores;unde uocat eos ad CHRISTVM, et habet promiſsionem primam uitæ, quæ uita eſt per gratiam & iuſtitiam, & confert illam credenti & profitenti. Nam habet ſuum ſacramentum baptiſma,in quo fit profeſsio fidei, quod eſt quaſi ianua, per quam ingredimur in CHRISTVM; nā in illo regulariter accipitur Spiritus ſanctus. Hæc euangelij pars,iuxta promiſsionem Dei, habet effectum hunc,quòd adducit credentem in CHRISTVM ut intret in eccleſiam militantem, quod eſt corpus CHRISTI, ad militandum: quoniam militia eſt hæc uita hominis ſuper terram. Sic homo in hac prima euangelij parte primò eruditur uerbo, ut cognoſcat malum ſtatum ſuum,in quo inuenitur, & ut ab eo liberari uelit per CHRISTVM. Hoc enim ei promittitur, credenti tamen & conſentienti per ſacramentum in quo iuſtificatur, hoc eſt, uerè fit iuſtus co-

Iob.7.

ram Deo per iuſtitiam donum Dei, quod (ut ait beatus Aug.) eſt ipſa charitas, quæ infunditur ei à Deo in corde ſuo per Spiritum ſanctum. Hoc autem donum accipit gratis à Deo abſque ullis præcedentibus operum bonorum meritis, ſed ex fide ſincera. Nam uerè bona opera ad meritum, ex charitate ueniunt; hæc autem iuſtificationem ſequuntur, non præcedunt, ut docet innumeris locis. S. ille Doctor, imò ipſæ ſcripturæ sāctæ. Deus ergo reſpicit illam hominis impij fidem, imputans ei illam ad iuſtitiam, hoc eſt, reſpicit eam ut dignam, etſi reuera non ſit digna, propter quam ipſe dignetur iuſtitiæ illud donum in credentem gratis infundere. Et ideò iuſtificare dicitur Deus gratis, non autem ex merito fidei præcedentis, aut operum quorumcumque ipſam iuſtificationem præcedentium, quæ grata Deo eſſe non poſſunt ad meritum iuſtitiæ, cùm ſint nō iuſtificati hominis. Hæc ē igitur prima euāgelij pars.

Tum uerò ſequitur altera pars, quæ habet promiſſionem uitæ, non illius uitæ de qua diximus, quæ eſt donum gratiæ, à quo poſſumus excidere (nam hanc iam habet iuſtificatus fide, & ſacramento) ſed uitæ quæ eſt donum gloriæ, quæ appellatur uita æterna. Hæc uerò uita æterna perfecta, per hanc ſecundam euangelij partem non promittitur credenti tantum, ut ait hæreticus, ſed etiam operanti ex fide, ac ſeruanti mandata legis charitatis. Vnde CHRISTVS dixit; Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Et iterum de obſeruantia legis dixit: Hoc fac & uiues. Nam etſi foris adhuc exiſtenti, & uolenti ingredi in CHRISTVM, fides

[Left margin: Matth. 19. beside "legis charitatis. Vnde CHRISTVS dixit"; Luc. 10. beside "legis dixit: Hoc fac"]

abſque operibus ualet ad ipſum ingreſſum in eccleſiã
militantem;ingreſſo tamen et exiſtenti in CHRISTO
& in hac eccleſia,ad ſecurum egreſſum hinc ad Patrẽ,
illa tantum fides ualet,quæ per charitatem operatur.
Quare doctè dixit Apoſtolus.In CHRISTO IE- Ad Gal. 5.
SV, *nota uerbum, in* CHRISTO IESV, *ac ſi*
dixerit;Non dico illi qui ad CHRISTVM IESVM
accedit,nondum exiſtens in illo,Sed illi dico qui iam ac-
ceſſit,& eſt in illo;& hoc eſt quod dico, quòd tali ho-
mini iam in CHRISTO *exiſtenti,& conſequenter iu*
ſtificato,neq; circunciſio,neque præputium aliquid ua
let,ſed ea fides, quæ per charitatem operatur: non fi-
des mortua,& ea quæ imputatur ad iuſtitiam,ſed fi-
des operans iuſta & iuſtè,ideſt, per charitatem: quo- Rom.10.
niam corde creditur ad iuſtitiam, uidelicet adipiſcen-
dam,antequàm habeas. At iam adepta, ore fit confeſ-
ſio ad ſalutem; quia oportet iuſtificatum confiteri
CHRISTVM, *etiam externè operibus charitatis,*
cum adeſt facultas & opportunitas. Quod enim dixit,
ore,ſignificauit eleganter, more ſcripturæ,omne opus
externum quod ex ueritate charitatis procedat;Alio-
qui ore tantum confiteri non poteſt. Vnde Dilectus:Fi
lioli non diligamus uerbo,neque lingua,ſed opere & 1.Ioan.3.
ueritate. Et ipſe B. Paul. in quoſdam: Confitentur ſe
noſſe Deum,factis autem negant. His ergo iam iuſtifi- Ad Tit.1.
catis dicitur: Niſi abũdauerit iuſtitia ueſtra plus quã Matth.5.
Scribarum & Phariſæorum,non intrabitis in regnum
cœlorum: Ego enim diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi Hæc ex e-
Pater meus regnum, uidelicet, per uiam crucis. Qui nangelijs

ergo non tulerit crucem ſuam ſuper ſe, non poterit meus eſſe diſcipulus: Non eſt *enim diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſupra dominum ſuum.* Exemplum *autem ego dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, & uos faciatis.* Per *multas enim tribulationes oportet ingredi in regnum* Dei. Q*uare, qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, ideſt, augeat iuſtitiam ſuam meritis, ambulans in operibus bonis, ut dignus fiat corona uitæ æternæ.* Q*ui.n. dicit ſe in* CHRISTO *manere, debet ſicut ipſe ambulauit, ita & ipſe ambulare, ut perficiat ipſe illam, quam gratis accepit, iuſtitiam, aſsiduè per uſum eius bonum creſcens in illa; quia habenti dabitur, & abundabit.* I*llud enim iuſtitiæ donum eſt ab initio tanquàm planta recens & imperfecta, quæ cultu aſsiduo recipit incrementū ac ſtatum.* V*nde &* Dominus *proponitur puer, qui proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud* Deum *& homines.* Debet *igitur aſsiduè ad anteriora ſe extendere, & quæ maioris perfectionis ſunt aggredi homo* Dei, *& non retrogradi: quantò igitur magis non peccare ne decidat à iuſtitia ſua?* Nā
Ezech. 18. *ſcriptum eſt.* S*i auerterit ſe iuſtus à iuſtitiā ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* In *iniuſtitia quā operatus eſt morietur, & omnium iuſtitiarum eius nō recordabitur* Dominus. Non *enim peccandum eſt ei qui iam ſit in gratia, quia eſt in gratia; ſed potius quia gratiam adeptus eſt, ad eum pertinet non peccare, nec contriſtare* Spiritum *ſanctum, & à ſe eijcere tantum hoſpitem, ne in deteriorem ueniat ſtatum, priore peiorem, in quo erat ante iuſtitiam, cuius rei habemus ty-*

pũ CHRISTVM *ipſum. Sicut enim* CHRISTVS, *qui ſemel mortuus eſt peccato, non ulterius moritur, ſed uita uiuit ſempiterna: Sic homo in* CHRISTO *ſemel mortuus peccato per baptiſmum, & excitatus ad nouam uitam, non debet amplius peccare, ac proptereà iterum mori in* CHRISTO, *& ludibrio habere* CHRISTVM. Ideò Dominus *dixit:* Ecce *ſanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat.* Et *alibi:* Tene *quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Et Apoſtolus: Videte *ne in uacuum gratiã* Dei *acceperitis.* Non *enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Et Dominus *ipſe. Qui autem perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit.* Rom. 6. Ioan. 5. Apoc. 3. 2. Cor. 6. 2. Tim. 2. Matth. 10

Hæc eſt ſecunda pars euangelij, & hæc habet duo ſacramenta, Alterum eſt Euchariſtia, *per quam homo ſubſtinetur in uita ſuſceptæ gratiæ.* Nam *& peccata quotidiana, quæ humana fragilitate admittuntur, ſacrificio illo perenni, & illa ſacramenti iugi ſuſceptione remittuntur atque delentur. Sacrificio enim coniuncta eſſe debet ſemper ſacramenti ſuſceptio, ſaltem ſpiritualiter ſacerdoti, aut conficienti etiam ſacramentaliter.* Habet *& alterum ſacramentum, quod eſt* Confirmatio, *qua roboratur homo ut ſit miles bonus, potẽs reſiſtere* Diabolo, *& mundo, & carni ad uictoriam.*

Hæc eſt igitur ſecunda pars euangelij opportuna & neceſſaria.

Eſt tandem & tertia pars, quoniam accidit (heu nimis tamen frequenter) ut homo iam iuſtificatus iterũ labatur, & mortaliter peccet; unde donum gratiæ ac

iuſtitiæ iure omittit. Huic dicitur, & ſi male fecerit, ne deſperet tamen; huic ait bonus Eccleſiaſtes. Fili, peccaſti, ne adijcias ultra, ſed & de priſtinis deprecare
1.Ioan.2. ut tibi dimittantur. Et Dilectus. Hæc ſcribo uobis ut non peccetis; ſed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem IESVM CHRISTVM iuſtum, et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Hæc igitur pars ſuum habet ſacrmentum confeſſionis, quod pœnitentiæ ſacramentum appellatur. CHRISTVS enim habens autoritatem ſummam, ut ſummus pontifex, remittendi peccata, dedit hanc poteſtatem eccleſiæ in ſacerdotibus ſuis dicens. Quorumcumque remiſeritis
Ioan. ulti. peccata, remittuntur eis. Vnde & Petro roganti, quo
Matth.18. ties deberet dimittere, nunquid uſque ſepties? reſpondit etiam uſque ſeptuageſies ſepties: quod ſignificat uſque ad conſummationem perfectæ iniquitatis, quando non fuerit ulterius homo uiator, ſed in extremam uenerit duritiem & impænitentiam contra Spiritum ſanctum. Et in hoc ſtatu duo ſunt capita, quæ prædicat euangelium, Primum eſt quòd non moretur reuerti præuaricator ad Deum. Propter quod & Sapiens di-
Eccleſi 5. xit. Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentias cordis tui, et ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me ſubijciet propter facta mea? Deus enim uindicans uindicabit. Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſsimus. n. eſt patiens retributor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neq; adijcias peccatum ſuper peccatū. Et ne dicas: Miſeratio domini magna eſt, multitudini peccatorū meorū miſerebitur. Miſericordia

enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Ne *tardes conuerti ad* Dominum, & *ne differas de die in diẽ: Subitò enim ueniet ira illius, & in tempore uindictæ diſperdet te. Apoſtolus eadem hæc elegãter & concinnè his uerbis proſequitur:* Exiſtimas *autem ò homo qui facis ea, quòd effugies iudicium* Dei? *An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Ignoras *quòd benignitas* Dei *ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij* Dei, *qui reddet unicuique ſecundum opera ſua.* Hoc *eſt primum quod prædicandum eſt ei, ut conuertatur ad* Deum *pœnitentia. Secundum eſt quòd uerè pœniteat, idq; conſtet per ipſos fructus dignos pœnitentia, qui ſunt, primus cõtritio, & dolor de præterito, & propoſitum firmum & conſtans aggrediendæ nouæ uitæ. Secundus, Confeſsio ad aures ſacerdotis, uice* CHRISTI *recipientis:* Et *tertius, Satisfactio pro peccato per bona opera charitatis & iuſtitiæ, quæ ſunt, ieiunia, eleemoſinæ, & orationes pro modo delictorum. Hæc dicitur ſecunda tabula poſt naufragium ad recuperandam amiſſam iuſtitiam, quam ſemper obſeruauit eccleſia* Dei. *Cõmune eſt autem omnibus tam ijs qui permanſerunt in accepta iuſtitia, qui pertinent ad ſecundam euangelij partem, quàm ijs qui per pœnitentiam liberati ſunt à peccato, qui ad tertiã attinẽt, ultimũ Sacramentũ q̃ eſt extrema unctio, quæ ab omnibus peccati & ueteris hominis reliquijs ex hoc mundo hominẽ ad* Deũ *dimittit purũ;*

Rom. 2.

Hæc eſt tertia euangelij pars.

Lutheranæ doctrinæ defectio à catholica in articulo iuſtificationis.

Nouæ autem huius pernitioſæq; doctrinæ inuentores, primam quidem ueri euangelij partē magnoperè alterant, et prophanant: duas uerò poſtremas in ſuo euangelio nouo penitus amputant, ſcilicet quia in illis ſalus noſtra conſiſtit. Rogas *fortè quonam pacto has amputent, et illam primam prophanent?* Audi, *Ipſi uniuerſaliter pronuntiant, ſola fide hominem iuſtificari, ut quanquàm alia cum fide concurrant, ut ſacramētum, pœnitentia, animus ſubdendi ſe legi* Dei, *ea tamen non facere ad iuſtificationem, ſaltem præparatoriè, ſed fidem ſolam contendunt.* Quod *idem eſt ac dicere, fidem non fidem, & ſic reuera etiam fidem abijcere, ſi rectè cogites.* Vniuerſa *uerò illorum doctrina in hoc fundatur.* Fingunt *legem ſeparatam eſſe ab euangelio, imò pugnare cum illo:* Et *legem quidem primùm oſtenſam eſſe ibi, non ut quis eam faciat, ſed potius ut ipſa hominē perterrefaciat uolentē tendere ad* Deū, *& obtinere ſalutem per uiam legis, & iuſtorum operum.* Nam *lex, inquiunt, oſtēdit præuaricāti iram* Dei *& furorem.* Homo *enim, aiunt, ſibijpſi conſcius, uidebit ſemper ſe non ſatisfeciſſe legi, nec quidem ſatisfacere poſſe, unde concipit iram* Dei *in ſe ac furorem, & ſic totus terrore ſuccutitur.* Quamobrem *huic homini ſic perterrefacto, & ſuorum conſcio peccatorum (ne deſperet) ex alia parte oſtenditur euangelium* Dei *& prædicatur illi.* O *homo miſer ſi fidis in lege actum eſt,*

periiſti, conuertere ad euangelium Dei, *in quo eſt certa ſalus:crede enim & ſaluus eris certiſsime:tene fidem,& ſatis erit.* Volunt *enim quòd euangelium non ſit lex,neque contineat legem, imò ipſam legem penitus deſtruat & abroget.quod eſt contra uerbũ* CHRISTI *&* Pauli.*Sed ipſi aiunt,*Per *euãgelium quis iuſtificatur,& moritur legi,ut non obligetur; unde lex nihil habet ulterius iuris in illum, quia* CHRISTVS *delet penitus omnia peccata ſua quæcunque fecerit,tã ante iuſtificationem, quàm poſt,modo fidem retineat.* Fingunt *ergo chriſtianum hominem quaſi poſitum inter hæc duo medium,uidelicet, inter legem & euangelium,ut ſi legem reſpiciat,& per opera eius ſaluari uelit,dignum ſe conſtituat morte, & ſub maledicto legis;quia inueniet nunquàm ſe feciſſe legem.Si autem reſpiciat ad* CHRISTVM *per ſolam fidem,& ſic accipiat iuſtitiam* CHRISTI*, & opera eius, uidelicet paſsiuè,& dicat legi minanti ſibi mortem propter peccata:*Ego *te iam non timeo, non enim ſum ulterius ſub te,ſed ſub gratia.* Ecce Dominus meus Ieſus *ſalus mea cui credo, ipſe me liberauit à lege mortis & peccati, qui mea, imò omnium peccata,tulit,& pro tranſgreſſoribus etiam rogauit:* Et *ipſe pro me, & pro omnibus electis ſuis impleuit omnem legem, & omnem iuſtitiam.* Vale *ergo tu lex, quia ego uiuo, non in operibus meis,aut per te legem & per mea opera, ſed per* CHRISTVM*, & per opera ipſius,quæ apprehendo fide,et ipſe uiuit in me.*Hæc *in ſumma iſti,quanquã(ut iã dixi)inconſtãter,obſcurè,cõfuſe,& miris tergiuer-*

ſationibus, cum à ſcripturis urgentur calūniosè, ſinuoſè, pleni cauillis, admiſcentes falſa ueris, & ſtatum cum ſtatu, legem cum lege, iuſtificationem cum iuſtificatione, & denique opera cum operibus confundentes. Hoc enim in loco ut agnoſcas deceptionem prudens lector, conſidera quòd quæ Apoſtolus de lege Moſeos, et eius efficacia docet, ipſi trahunt ad legem CHRISTI: hoc eſt: quæ ille de lege ſcripta in tabulis lapideis, quæ non eſt ex fide, iſti ad legem ſcriptam in cordibus noſtris transferunt, quæ lex ex fide procedit. Et conſequenter ea quæ conueniunt homini non iuſtificato, transferunt etiam ad iuſtificatum. Non iuſtificato enim conuenit non poſſe facere legem, & illi eſſe legem datam, ut cognoſcat peccatum, et illius dominationem, ut currat ad CHRISTVM medicum, & medicinam. In qua re maxima eſt, & ferè tota eorum fallacia.

De fidei Lutheranæ efficacia.

PReter ea quæ de fide illa ſua ſola dogmatizat, acceptam referens illi & iuſtificationem & ſalutem (cum tandem nihil minus quàm ſolā, cū declarantur, oſtētant) adiecit hoc æquè pernicioſum dogma, ꝙ
In ſer. de Anabap. qui fidē habet, contra conſcientiā agere non pōt. Quod
Rom. 11. ſi uerum eſt, Ergo B. Paulus fruſtrà admonebat ſtan-
2. Cor. 6. tem in fide ne caderet, & eos qui receperant gratiam Dei, ne fruſtrà recepiſſent. Sed ut rem ſecretam et admirabilem uulgo inſano proponant, introduxerunt inauditam quandam differentiam inter fidem & fidem, quam hactenus theologia eccleſiæ ſanctæ neſciuit. Perſuadent enim ſtultis eſſe quandam fidem, quam ſe ha-

bere fingunt, & eos qui illis adhærent, qua ſuæ ipſorum prædeſtinationis certitudinem accipiunt, & quòd excidere amplius non poſſunt: quia iam fide apprehenderunt CHRISTVM, & cuncta illius merita. Vnde nõ oportet eos quicquàm operari pro ſalute, ſed ſolũ modò liberaliter, ut decet filios. Quin & omninò ſequentur neceſſariò bona opera ex iſta ipſa eorum fide ſola, quam tamen nolunt dari poſſe abſque charitate, et bonis operibus, & nihilominus ipſam ſolam reſpici à Deo, non autem charitatem, ut faciat illa mirabilia; quanquàm nec ipſi inter ſe, imò nec ullus eorum de his unquàm ſecum ſit conſtanter loquutus. Sed nos cum illis in proprio dialogo hæc tractamus fuſius. Nunc ſolùm quantum pertinet ad præſens opus, ſatis ſit de hoc dictum.

De charitate Lutherana in proximum.

DOcet hic homo anomos uelle Deum in ſua lege charitatis teneri nos diligere magis proximũ, quàm nosmetipſos: imò (ut uidiſti) dixit Lutherus omnia debet operari homo pro alijs, & non pro ſe. Quod miror & quoſdam, qui uidentur de noſtris, conari defendere.

De ſcientijs & uirtutibus.

VT omnia bona quæ à Deo data ſunt nobis, conculcaret iſte hæreticus, dixit: Omnes uirtutes morales & ſcientiæ ſpeculatiuæ, non ſunt ueræ uirtutes & ſcientiæ, ſed peccata & errores. Nunquid non ſatis eſt hoc recitaſſe, ut etiam appareat confutatum? Quo in loco & illud notandum, quòd ut magis poſſet uulgus

decipere, cœpit hic homo aſtutus ab initio, in quo & ſemper perſeuerauit, detrahere naturalibus ſcientijs, & uituperare ſcholaſticam theologiam, & ſuadere ab unoquoque poſſe ſcripturam intelligi rectè abſque ullo adminiculo doctorum. Fruſtrà ergo dixit Apoſtolus
Ephes. 4. *quòd Spiritus ſanctus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam prophetas, quoſdam doctores, ſi (ut hæc ſecta docet) quilibet ſine doctore melius ſcire poteſt. Verùm ita oportuit illum inprimis hoc ſuadere, ut homines dementaret, & ita falleret.*

De meritis ſanctorum.

Explodunt ergo & merita Sanctorum & Chriſtianorum ab eccleſia ſua. Et uerè meo periculo hoc ualent facere à ſua eccleſia: quia extra ueram eccleſiam non eſt meritum. In eccleſia uerò Dei pernicioſiſsimum eſt dogma, auferre merita bonorum & Sanctorum uirorum, quæ uniuerſa eccleſia perpetuò confeſſa eſt, & omnes Theologi ſancti, qui ea de ſacris literis educunt. Sed ait Lutherus blaſphemans in artic. ſuis 4. 5. & 6. Pro meritis S. Petri ne ullum quidem obolum darem ut me adiuuet, ſeipſum iuuare non poteſt. Et iterum furens. Si cœlum uiderem apertum, & poſſem illud leuatione unius feſtucæ promereri, nollē facere, nè auſim dicere; Ecce promerui. Hæc ille. Nonne hoc eſt proprium Luciferi uerbum, & ſui ſeminis nequam? Tantum odij contraxit in hanc uocem, Meritum, cum iam deſperauerit. Et hic religionem fingunt, cum magnā ſe facturos iniuriam diuinæ gratiæ, ſi quicquàm egerint propter regnum cœlorum, prædicant,

cum

cum tamen laudet eunuchos Dominus *qui ſemet pſos propter regnum cœlorum caſtrauerunt.* Sed *de his etiam proprio libello tractaui.* Mitto *hic de meritis ſu pererogationis.* Si *enim omnia prorſus merita dam= nant,quantò hæc magis? Hic tamen nunquàm uides re ſponſum eſſe ab eis uerbo* CHRISTI *dicentis.* Et *ſi quid ſupererogaueris,reddam tibi:* Nec B. Paulo, *qui cum non teneretur prædicare euangelium ſine ſtipen= dio,ut magis támen lucraretur,illud præſtitit.* Matth.19. Luc. 10. 1. Cor.9.

De indulgentijs.

Onſequentiſſimum fuit ſuæ iuſtificationi & fi= dei etiam theſaurum eccleſiæ negare, ideſt, CHRISTI *ſanguinem &* S. *Martyrum,* Confeſſo= *rum,*Virginum,*ac* Viduarum *merita glorioſa, & ſic penitus ſufferre indulgentias.*Quamuis *autem de in= dulgentijs mirum in modum uariè & inconſtanter lo quutus ſit,ſicut penè in omnibus,*Attamen *in ſuis ulti mis libris adeò blaſphemat, ut nũquàm tam* Satanicè. Non *nego, hunc de indulgentijs tractatum habere non nullas quæſtiones,quæ inter ſcholaſticos ſalua pace et charitate tractari poſſent,cum ſolummodò ſcholaſti= ci de his diſputauerint,nec in cunctis cõueniant.*Quòd *uerò non ſit poteſtas* Papæ *indulgentias donare,nec eſ ſe theſaurum meritorum per ipſum diſpenſabilem ad ſubleuãdum,aut liberandum à pœnis,uel in hac uita, uel in* Purgatorio, *non niſi hæreticus & hæreticè ua let aſſerere, cum manifeſte ſint conciliorum & ſum= morum* Pontificum *determinationes,et uniuerſalis in hoc eccleſiæ conſenſus.*

De inuocatione Sanctorum.

COnſequens item erat ſanctorum merita negan=
tem, ipſorum ſimul inuocationem contemnere.
Quod quanta humilitate Lutherus faciat, ex eo po=
In ſermo. de S. Ioã. Bap. tes accipere, quod ait. Ego æquè bene per CHRI=
STVM ad Deum ire audeo, ſicut S. Petrus & Pau=
lus. Et iterum. Quòd me ita humiliarem, ut non acce=
derem ad Deum, ſed Sanctum aliquem pro mediatore
ponerem, id non debeo facere. hæc ille. Nolo hic quæ
de ſanctiſsima Dei Matre effutiuit iſte impius, recita
re, qui ſi non in alijs ullis ſermonibus oſtentaſſet ſe, cu
ius erat ſeminis filius, in hoc ſolo certè ſe proderet
Luciferi ſerpentis alumnum, & germanam prolem.
Dixi ſatis de his in lib. noſtro de certa gloria Sancto=
rum, Tametſi eò uſque impia nec ullam diſputationẽ
deberent ingredi: ſed cogit temporum iniquitas.

De Sanctorum gloria.

POſtquam quicquid eſt ſanctitatis in terris ſuis ne
phandis dogmatibus perturbauit, quod ſupere=
rat etiam in cœlum aſcendere, ut idem faceret, non
omiſit. Sanctos enim omnes, etiam ipſam glorioſiſsimã
Virginem priuauit beatitudinis gloria, aſſerens nul=
lum ſanctorum adhuc potiri beatitudine, etiam ſecun=
dum animam, nihil moratus quòd hæc opinio aduerſe
tur determinationi conciliorum, & ritibus ſacroſan=
ctæ eccleſiæ, qui pertinent ad canonizationem eorum
atque cultum. Sed nos & de his proprios libellos cõ=
ſcripſimus, & particularem nondum æditum, qui hũc
proprium tractat articulum.

De canonizatione Sanctorum.

Conſequenter ergo Sanctorum canonizationibus arroganter & impiè detraxit. Vnde & inter ſuos damnatos articulos hic legitur. Si non credam Thomam Aquinatem eſſe ſanctum, licet à Papa canonizatum, non ſum hæreticus. Verùm de hac re glorioſus noſtræ ætatis Martyr Epiſcopus Roffenſis elegāter illum confutauit: Ego etiam in libris æditis de hoc diſſerui fuſioribus uerbis.

De adoratione ac ueneratione Sanctorum.

Coepit hic homo adorationem ac uenerationem ſanctorum contemnere, quaſi rem quæ ſecum gereret periculū idololatriæ, uel quia poſſumus adorare ſanctos pro non ſanctis, Vel quia etiam ſi ſancti fuerint, non putat adorari poſſe, aut ulla ueneratione coli, cum ſcriptum ſit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Quaſi uerò nos eadem adoratione & cultu ueneremur Sanctos, quo Deū ipſum. Et quaſi diuina prouidentia non aſsiſtat eccleſiæ ſuæ in canonizatione ſanctorum, ne fallatur; ut non ſit periculum adorari non ſanctum pro non ſancto, cum ſequimur Pontificum canones. Sed homo uſque quaq; perfidus, & ſanctitati inimicus, aliter loqui non poterat. Nam de glorioſa illa & benedicta Virg. Matre Dei quid non eſt obloquutus, homo linguæ ſpurciſsimæ, ſemen ſerpentis, et filius maledictionis? Sed quomodo peperciſſet Matri ore ſuo illo fœtido, qui adeò malignè aduerſus Filium illum ſanctorum ſanctiſsimū, & ipſammet ſanctitatem & ſanctificationem auſus eſt? Audi.

De adoratione ſacratiſſimi corporis Christi in Euchariſtia.

INcredibile profectò dictu eſt, quòd iſte hypocrita, (ſed nimium manifeſtus) qui pro CHRISTI glo=ria decertare ſe fingit, in eam uenerit irreligionis et amentiæ Luciferianæ oſtenſionem ut dixerit: Adorare ſuperuenerabile Domini corpus in Euchariſtia eſſe idololatrare; ut uniuerſam eccleſiam (quod ille pro ludo habet) faciat mille nominibus idololatram, & tot ſæculis in hoc tanto diſcrimine perſeuerantem. Mitto hic ſcripturam quæ hoc præcipit in eo Pſalmo. Exal=
Pſal. 98. tate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Quem locũ glorio=ſus Doctor Aug. de hac Euchariſtiæ adoratione ele=gantiſſimè interpretatus eſt. Vidit enim non aliter cõmodius poſſe ea uerba aptari, quàm ad CHRISTI adorationẽ in altari. Agam tamen ratione cũ homine, qui nullius autoritati cedit, ſi tamẽ ille ſit homo. Quæro enim ab illo: Nunquid eſt in eo ſacramento corpus CHRISTI, & ipſemet Dominus cum ſua diuinitate? Hoc enim ille confitetur, licet (ut exiſtimo) nõ ex corde. Verùm tranſeat, ſatis eſt quòd ore confiteatur. Si igitur adeſt ibi ſacroſanctum eius corpus, & ſanctum ſanctorum, cur non eſt adorandum? An quia corporeis oculis illum ibi eſſe non cernimus? quaſi uerò fides non habeat oculos ſuos. Quãdo ergo, aut ubi, adorabimus Deum quẽ nullibi uidemus? Sed audiamus ipſam blaſphemam beſtiam, ſic enim ad Valdenſes ſcripſit: Hoc genere adorationis omnia templa, monaſteria, breui=

ter omnes anguli pleni ſunt, & totus cultus Papiſtici regni nihil aliud fuit, quàm aſsidua ſubſannatio ſub hac uoce: Aue rex Iudeorum. *Potiſsimum uerò ſic ridetur* CHRISTVS *in die feſto Paſchatis, & corporis* CHRISTI *in omnibus Miſsis, ut uocant, in pompa & proceſsione, ubi in auro, & argento circunfertur Euchariſtia.* Et *paulò poſt: Quamobrem dicimus nũc illos non eſſe damnandos, nec hæreſis accuſandos, qui ſacramentum non adorant, cum non ſit præceptum, nec* CHRISTVS *in hoc ibi adſit: Sed tamen ubiq; uides illam adorationem ſacramenti non eſſe ſine periculo, ubi fides & uerbum non exercetur. Quare tutius forſitan fuerit cum Apoſtolis non adorare.* Et *infra: Sophiſticis uaniloquis cura eſt quomodo totam diuinitatem in ſacramento incantent. hæc ille. Quis ab his blaſphemijs non exhorreſcat? Primùm non uult adorari* CHRISTVM *in* Euchariſtia; *quia (ait) non eſt præceptum. An non eſt præceptum:* Dominum Deũ *tuum adorabis? Sed ait, Non eſt ibi in hoc, ut adores. Sed nunquid hoc habet ille è ſcripturis, quòd non ſit ibi ad hoc?* Ait: *Eſt ibi in uſum cibi. Quid ergo? An eſſe in uſum cibi facit ne ſit ibi? Aut quid prohibet prius illum adorari ut* Dominum *ac* Deum, *deinde ſumi ut cibum? Nunquid* CHRISTVS *ita eſt cibus noſter, ut non ſit* Deus *noſter? Igitur ego miſer agnoſcam eum ut cibum ut ſolum comedam, & non item ut* Deum *ut ſupplex adorem? quaſi adoratione prohibeatur cibi uſus; ac nõ potius excitetur.* Ait: *In adorãdo non exercetur fides & uerbum, perinde ac ſi poſsit abſque fide adorari;*

Et quaſi non ſit uerbum: Adorate ſcabellum pedum eius. Denique in comedēdo, quod uerbum, quæſo, exercetur? O hominem in quo perfectè impletur dictum:
Iſa.32. *Fatuus fatua loquitur. Sed utinā ſibi ſoli eſſet fatuus. Ait, Apoſtolos non adoraſſe illum in cœna. Sed unde id nouit? An quia non eſt ſcriptum in euangelio? Sed nunquid inuenitur quòd Mater adorauerit eum? Nunquid igitur, quia hoc non inuenitur, concludet cordatus homo quòd illa non adorauerit? Et ita rea fuerit illius præcepti: Dominum Deum tuū adorabis? Agnoſcimus axioma hæreticornm, qui quodcunque non eſt in ſcripturis, etiam factum inficiantur; Et quod nō expreſſo præcepto in ſcripturis fit, à Diabolo profectū eſſe blaſphemāt. Conſidera hic, pie lector, inuidiā Diaboli. Vnum hoc præcipuum ſolatium, quod reliquit nobis Dominus Emmanuel noſter, illum uidelicet nos habere præſentem, ut ſic poßimus illū, tanquā uerè præſentem (ſicuti uerè eſt) colere & adorare, liuidus ille à nobis auferre conatur. Sed non præualebit: Fundamētum enim Dei ſtat, qui nouit qui ſui ſunt.*

De reliquijs Sanctorum.

VIgilantius hæreticus prohibebat Sanctorum reliquijs ullam exhiberi uenerationem. Hunc D. Hieronymus ardore fidei plenus, ita corripuit, ut os obſtruxerit loquentis impietatem. At hic Luciferi filius non ſolùm hoc egit ne ullus eis honor impenderetur, uerùm ut fœdißimis & infandis modis lacerarentur, proijcerentur, conculcarentur, comburerentur. Voluit enim hic unus, poſtquàm ſemel cœpit eſſe hæreticus,

omnes qui hactenus fuerunt, impietate & furore ſuperare. Sed & nos de hoc articulo alibi ſcripſimus.

De circunuectione corporis Christi.

Sicut olim per arcam Domini, *quùm circunferebatur, torquebantur maligni* Dæmones; *quoniam in illa arca, tanquàm in figura, agnoſcebant hoc ſuprabenedictum* CHRISTI *corpus, & ideò excitarunt* Michol *quæ derideret* Dauid *circa illam exilientem, ſaltantem, ac ludentē: Ita nunc excitarunt hos ſuos* Apoſtolos, *qui ſimiliter hūc ritum in ſpiritu geſtiendi, quū uehitur* Dominus *per plateas, & compita, & agrorum ſemitas, derideant & prohibeant. Sentiunt enim ipſi, qui hunc aërem caliginoſum incolunt, præſentiā* Domini *ſui, quem reprobarunt. Sentiunt cōminationes eius, qui prohibet eis ne nobis noceant, nec frugibus noſtris, ut tremeſcant & exhorreſcant. Verùm ſicut illa* Michol *deridens* Dauidem *ſterilitatis pœnas luit, ſic accidet iſtis, quia erunt (ſicut* B. Iudas *Apoſtolus teſtatur) arbores infructuoſæ & ſteriles, & in ipſo autumno marceſcentes, bis mortuæ & eradicatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur.* Eant nunc, *& dicant ſibi non dictum.* Credo *enim & confido in miſericordia* Dei *per* IESVM CHRISTVM, *quòd aliquando dicam* Luthero, *cū uidebo illum poſitum inter inimicos* Domini Ieſu *ſcabellum pedum eius:* Nonne *dixi tibi? nonne monui?* Ecce *nunc euenerunt.* Et *lætabitur iuſtus, quia uidebit uindictam, & lauabit manus ſuas in ſanguine peccatoris.* O *miſeros, quibus datum eſt impunè eſſe impios in hoc ſæculo.*

1. Paral. 15

De obſeruantiis eccleſiaſticis.

NVllas iam permiſit obſeruantias eccleſiaſticas in cultu Dei: Nam dies feſtos omnes iam reprobauit. Dominus noſter luctum prædicauit, & ieiunium
Matth. 5. & 9. ſanctificauit, & ſuos Apoſtolos ieiunaturos prædixit ablato Spōſo. Iſte autem Lutherus, quaſi ipſe ſit ſponſus, excuſat diſcipulos ſuos à ieiunijs, qui lugere nō poterant donec cū illis erat. Dixit ieiunia & huiuſmodi opera pertinere ad imperfectos. CHRISTVS igitur & Ioan. Bap. qui ieiunauerunt, imperfecti fuerūt. Et
2 Cor. 11. Paulus Apoſtolus qui in ieiunijs et uigilijs multis laborabat, erat imperfectus. O tragediam miſerandam.
Matth. 5. Dominus dixit: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Et: Væ uobis qui ridetis, quoniam flebitis. Et
Luc. 6. nunc (quod horrendum eſt) audio Lutheri diſcipulos, etſi nullo tempore ieiunium obſeruent, nec ciborum delectum, in quadrageſima tamen et ſextis ferijs præcipuè, & in hebdomada ſancta paſsionis D. N. IESV CHRISTI in deſpectum (ut aiunt) eccleſiæ, maximè tunc uorāt carnes uſque ad uomitum, & ſic celebrant lugubria CHRISTI. Sunt autem horum adeò diri & crudeles animi, ut non ſolùm uniuerſa eccleſia aſſumente ſibi luctum in die ſancto paraſceues, quando Dominus amore noſtri illum ſpiritum benedictum cū tanto dolore, clamore, & lachrimis emiſit, nolint ipſi contriſtari, ſed gaudere, uerum etiam ſpeciali dogmate derideant illis diebus aſſumptum ab eccleſia luctū in ſuis obſeruantijs ac cerimonijs, & negent perfidi luxiſſe pijſsimam Virginem, quùm tam atrocia de ſuo

charißimo Filio ante oculos proſpectaret; Quod profectò non eſt aliud, quàm negare illam fuiſſe Matrē. O gentem inſenſatam; gentem faſcinatam à uiperis; gentem denique rebellem, & quā Deus reiecit à protectione manus ſuæ, ut ore uiperarum laceretur. Vtinam ego in hoc non ſim propheta. Sed audiamus noſtram beſtiam ſua uenena efflantem. Obſeruatio, inquit, dierum feſtorum eſt decima facies Antichriſti, cum omnes dies liberi ſint & ad laborandum, & ad feriandum. Et alibi. Si quis te cogere uult, quemadmodum Papa fecit in ſuis legibus, ne comedas carnes ſexta feria, & in quadrageſima, hic nullo modo ſinas te à libertate, in quam te Deus poſuit, extrudi. hæc ille. Et iterum alibi ſic ait: Fidele conſilium meū eſt, ut homo chriſtianus tēpore quadrageſimæ neque confiteatur, neque ad ſacramentum eat. Ecce conſilium fidele, ſecundum tamen Lutheri doctrinam, ſi tuam animam credas illi. Mitto quæ blaſphemat in alias obſeruantias eccleſiæ & ritus, ut qui ſunt circa conſecrationes, & benedictiones templorum, ſacellorum, altarium, calicum, cereorum, fontium, ſalis & aquæ, ciborum, & aliarum uel perſonarum, uel rerum; quæ benedictiones non ſine Domini uerbo & fide fiunt, & ſunt quàm decentiſsimè ordinatæ per Apoſtolos, & ſummos Pontifices, & per Spiritum s. abſq; dubio inſpiratæ ad ſolatium, & utilitatem noſtram: contra quas nihil habet hæc porta inferi, niſi quòd expreßis uerbis non præcipiantur in ſcripturis. Et quidam etiā calumniantur, eſſe hæc omnia à paganiſmo accepta,

In reſpōſ. ad autorem

In ſermo. feria 4. poſt Dominicam. Inuocauit

De cōfeſ. par. 3.

inferentes iniuriam Spiritui ſancto, & ignorantes q̃ Ethnici potius acceperunt de cultu antiquorum Patriarcharum, quàm noſtri acceperint ab illis: quãquã quæ illi acceperunt, prophanauerint, contaminarint, & in cultum Diaboli conuerterint.

De uotis monaſticis.

Q*Vanquàm omnia uota improbat iſta furioſa inferi porta, illa tamen ſuper omnia damnat, quæ uocantur monaſtica.* Hoc autem qua ratione ſcire *non poſſum, niſi quòd illa, nimirum monaſtica, ſuper alia omnia placent* Deo; *quia* CHRISTVS *indixit illa, &* Apoſto*li ſuſceperunt,* B. Agu.*teſte, & uniuer ſaliter omnibus S.* Do*ctoribus, quod &* B. Diony*ſius* Areopagita *tradit. Sunt autẽ hæc tria uota, pauperta tis, caſtitatis, & obedientiæ, quæ illis* Domini *uerbis cõ*

Matth.19. *prehenduntur: Si uis perfectus eſſe, uade, et uende om nia quæ habes, & da pauperibus, et ueni ſequere me.*

De uotis monaſtic. Hæc eſt autem de hoc articulo Lutheri doctrina. Vo*ta monaſtica ſunt impia, gentilia, iudaica, ſacrilega, mẽdacia, erronea, dæmoniaca, hypocritica, apoſtatica, etiam ſanctorum exemplis aduerſaria.* Quare *cum fi ducia reuocanda, & deſerenda ſunt, etiam ſi pia & ſe ria opiniõe emiſſa fuerint. hæc iſta furia.* Et *amplius:* Cælibatus, *uirginitas, aureolæ, nugæ ſunt, et mera* Sa*tanæ mendacia.* Item: Cupio eradicata, *extincta, & abolita eſſe uniuerſa monaſteria, quæ utinam* Domi*nus igne & ſulphure cœleſti, ad exemplum* Sodomæ *et* Gomòrrhæ, *demergat, adeò ut ne memoria quidem illorum ſuperſit: neque enim ſatis fuerit illis anathe=*

ma imprecari. Item aduerſum me ſcribens: Decima facies, ait, Antichriſti eſt inſignis ille celibatus, & monaſticæ caſtitatis multitudo, planè angelica facies, diabolica res. hæc ille. Cuperet autem diabolus ut contra hæc diſputaremus, & exagitaremur. Multū eſt enim Satanæ cū obtinet ſuper his diſceptationem fieri, quæ ſunt euidentiſſimæ blaſphemiæ. At hæ non ſeruentur ſynodo ut conſyderentur, ſed inferno ut dignè puniātur. Et tamen particularem tractatum de hac re fecimus, ne qui ſunt infirmi in fide, capiantur diabolica iſtorum fraude. Illud autem adeò impudens mendacium, quod ait: talia uota eſſe exemplis Sanctorum cōtraria, quis ferat? niſi quòd per ſanctos, alios intelligit ipſe, quàm nos intelligamus. Nā ipſi Luthero ſancti ſunt Ioannes Vuicleff. & Ioannes Huß, & alij ſimiles. Nobis uerò ſancti ſunt, Baſilius, Chriſoſtomus, Hieronymns, Auguſtinus, Benedictus, Gregor. Maurus, Placidus, Bernardus, Dominicus, Franc. & alij innumerabiles, qui his uotis proculdubiò ſeſe alligarūt, quorum inſtituta ſancta, & regulas horribiliſſimè blaſphemat hic uerus Antichriſti præcurſor. Quoniā uerò interdum à furore parumper feriatus, non poterat inficiari, tātorum ſanctorum autoritate ſe teneri, ac perpetuo. S. eccleſiæ teſtimonio redargui, quæ hoc uitæ mōnaſticæ genus ſemper continuauit ac probauit tanquam uerè ſanctum ac perfectum, ut hanc à ſe inuidiam malignus depelleret, Reſpondit non eſſe imitanda eorum facta; quia Deus potuit ſeruare illos in eo periculoſo genere uitæ. O inſanum hominem. Deus

proponit illos nobis imitandos, Imò *ipſimet ſe in hoc ipſo genere uitæ exhibent in exemplum, condendo regulas, docendo mores, hortando ſingulos qui ad hunc uitæ ſtatum non ſint inepti*; Et *nunc iſti noui magiſtri perniciosum eſſe hoc* Sanctorum *exemplum docent.* Imò *adhuc peiora, ut iam recitauimus, dicunt, uidelicet q́,* Diabolus *uſus eſt ſanctis, & illorum geſtis, ad tradendum nos in errores.* O *blaſphemiam ſolo igne æterno, nec ſatis prò merito, diluendam.*

De uirginitate & caſtitate.

TRactans ille *ſæpenumerò de cœlibatu ac uirginitate, ab initio ui ueritatis coactus non ualuit hunc ſtatum non commendare, & confiteri non eſſe præceptum, ſed conſilium; donec tandem in tantā dogmatis ſpurcitiam lapſus eſt, ut in libro de uita coniug. in hunc modum docuerit.* Creſcite *et multiplicamini, non eſt præceptum, ſed pluſquàm præceptum, quod nos non poſſumus impedire, uel prætermittere, ſed perinde neceſſarium, ac magis neceſſarium, quàm edere & bibere, purgari, expuere, uigilare, & dormire. hæc iſte non de grege* Epicuri *porcus, ſed (ut ſuo iſto ore fœtido indicat) de ſpurciſſimis incuborum cacodæmonū ſeminibus ſecundū ſpiritum propagatus.* Et *in eodem libro ait.* Sicut *in mea poteſtate non eſt quò minus ſim mas, ita minime ſitum in me eſt, ut ſim ſine muliere.* Vnde *de uotis monaſticis ait.* Vota *omnia nullius ſunt momenti; quia ſtulta & impoſſibilia*: Et *nos etiam de his particularem tractatum conſcripſimus, ut oſtenderemus dogmatis impietatem, & periculum*

magnum in eos, qui aurem arrigerent ad hæc dicta iſtius ſerpentis.

De iuſtitia uindicatiua.

Q*Vamuis in multis circa hunc articulum pec=cet, à uero multum aberrans, duo tamen præ=cipuè ſunt annotanda, Primum quod ait*: Hæreticos *comburi eſt contra uoluntatem ſpiritus*. Hoc *uerò du=pliciter poteſt intelligi, ſicut ſpiritus uel bonum, uel malum ſpiritum poteſt ſignificare. Si enim accipimus per ſpiritum, ſpiritum malum, tunc concluſio uera eſt omninò; quia malus ſpirtius, qui fauet hæreticis, nollet eos comburi, certò ſciens quòd ignis eſſet hæreticorũ extinctio. Si autem loquitur de ſpiritu bono et ſancto, tunc manifeſtè falſus eſt articulus. Sed ſicut commen=datus eſt à* Domino *uillicus iniquitatis, ſic poteſt in hoc commendari Lutherus ex parte, eò quòd hoc arti culo ſeipſum & ſuos defendit. Verùm quoniam per illum dupliciter ſe hæreticum oſtendit, tum quia per ſe hæreticus eſt ipſe articulus, tum quia per illum pa trocinatur hæreticis (quis enim niſi hæreticus hæreti=cis patrocinaretur?) non eſt de prudentia commendan dus. Sed ait, ut hunc defendat:* CHRISTVS *non uo=luit ui & igne cogere homines. Certè noluit quenquã cogere, ad fidem ut ueniret: Sed eum qui uenerit, uult permanere in fide. Quòd ſi non permanſerit, uult pu=niri non ſolùm in altero ſæculo ſe iudice & ultore, igne infernorum, ſed etiam in iſto ſæculo per mini=ſtros principes, qui gladium portant non fruſtrà ſed in uindictam malorum, laudem uerò bonorum: Alio,*

In aſſer.

Rom. 13.

qui ſtante ratione Lutheri, quæ ex euangelio deduci=
Matth. 13. *tur: Sinite creſcere zizania uſque ad meſſem, nullus facinoroſus puniri deberet; quoniam zizaniorum appellatione non ſolùm hæretici, ſed quicunquè ſceleſti, corruptores bonorum morum, & turbatores communis pacis intelligũtur.* Dominus enim ipſe declarans, *dixit. Zizania ſunt filij nequam. Quare & paruum etiam tractatum feci ſuper hac quæſtione, ad illius parabolæ (ut exiſtimo) intelligentiam meliorem.* Deniq; *ſtulta eſt ratiocinatio.* CHRISTVS *non fecit; ergo non debet fieri:* CHRISTVS *enim non portauit gladium, & iuſſit* Petro *ut mitteret in uaginam: principes tamen uult habere gladium, et eximere ac ferire,*
Rom. 13. *ubi res poſtulat, ſicut* Apoſtolus *euidenter declarat. Quòd ſi iuſtè alij facinoroſi, etiam ultore gladio, plectuntur, iſtæ peſtes & faces orbis quo euadere priuilegio debeant, niſi diabolico?* Aliud *annotandum, eſt*
In aſſer. *quòd uetat præliari aduerſus* Turcas; *ait enim hoc eſſe repugnare* Deo *uiſitanti per illos iniquitates noſtras. Contra hunc articulum nolo diſputare, quoniã uexatio dabit intellectũ.* Et *ſufficiet diei malitia ſua.* Dies *enim craſtinus ſatis erit ſollicitus ſibi ipſi.*

De Purgatorio.

DE Purgatorio *tam uariè & inconſtanter loquutus eſt, ut mirer hominis frontem, quomodo non erubeſcat in tanta poſitionum perplexitate.* Ab *initio habebat pro certo quòd erat* Purgatorium, *ſed de animabus ibi exiſtentibus quædam phanatica, & penitus inſana dogmatizabat aduerſus omnes, ſicut ego, &*

alij poſt, diligenter annotauerunt. Poſtmodò cæpit in dubium reuocare eſſet ne Purgatorium;& in hoc etiã uariè docuit. Aliquãdo dixit: Credo firmiter eſſe Purgatorium. Alibi etiam dixit, hoc firmiter eſſe credendum,& ſe ſcire uerum eſſe. Ad Valden. autem ſcripſit. Quòd negatis Purgatorium, damnatis Miſſas, uigilias, cenobia, monaſteria, & omnia, etiam per omnia probo, nec quicquàm aſtringitur ad credendum eſſe Purgatorium. Et in lib. de Abrog. Miſſ. ut iam citauimus. Tutius eſt, inquit, totum Purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere. In diſputatione autem Lypſica, dixerat. Credo fortiter, & auſim dicere, Purgatorium eſſe, cum de eo in ſcripturis mentio fiat, quemadmodum eſt illud Matthei: Non remittetur neque in hoc ſeculo &c. uolens remitti peccata in Purgatorio. Et illud. 2. Machab. 12. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare. Propterea ſcio Purgatorium eſſe. Ad Valdenſes autem iterum dixit. De Purgatorio nihil eſt in ſcripturis. Denique in poſtremis ſcriptis ſtabiliuit cõſcientiam ſuam, ut Purgatorium omninò negaret. O doctorem egregium. O, quod cum dolore & lachrimis cordis clamo, apoſtolum & gloriam Germanorum.

In declar.

In teſtam.

De Inferno.

Non me latet multa me præteriſſe de eius impijs & inſanis dogmatibus; ſed quæ iam expoſita ſunt, ſatis eſſe arbitror ad excitandam admirationem illam, quam diximus ab initio. Ergo ut finem huic iniucundæ & ingratæ narrationi tandem imponerem, ui

delicet de tam mendaci ſpurca, peſtilenti ac blaſphema huius hæreſiarchæ doctrina, poſtquàm uidi illum non peperciſſe cœlo, unde ſuos incolas extrudere conatus eſt: non peperciſſe terræ, unde Hierarchā *cum omni hierarchia ſubuertit; Tum etiam penetraſſe terras, ac locum* Purgatorij *animabus ſuſtuliſſe, conſyderaui ut ſaltem de inferno uiderem, ſi quid ibi per huius doctrinam deperierit.* Et *certè hunc locum ſolum inueni non ſolùm omnis detrimenti expertem, ſed contrà, auctum uehementer & cumulatum: cætera omnia cœlum, terram, & inferos, qui bonam haberent repoſitam gratiam, per iſtius hominis doctrinā conturbata eſſe, prophanata, diſiecta.* Quare *iure optimo cenſui hunc ipſum locum ſolum ab ipſo intactum, illi conuenientiſſimè reſeruatū fuiſſe, ubi cum* Lucifero *& angelis eius, cum* Cerintho, Marcione, Montano, Valentino, Manichæo, Nouato, Ario, *Sabellio,* Macedonio, *Neſtorio,* Euthychete, Pelagio, Donato, *& cæteris qui ſuis huiuſmodi notis ſunt inſigniti, iam receptus in illis æternis tabernaculis perpetuò crucietur, ridente & ſpectante uniuerſo beatorum cœtu, lauante manus in ſanguine peccatorum.*

DE

DE GONSIDERATIONE ET IVDICIO PRAESENTIVM TEMPORVM LIBRI TERTII.

PRÆFATIO.

PVTAMVS *ſuperioribus libris tum de uita, tum de doctrina* L*utheri*, & *ſectatorum tractantes, multas ac magnas prudẽti ac pio lectori ingeſiße admirationis cauſſas, quòd hæc ſecta adeò impia, non ualdè multò tempore, tãtas egerit radices, ac tantis inualuerit incrementis.* N*unc ergo illud conſequenter ſupereſt, ut quæ hanc admirationem è medio tollant, afferamus: cum alioqui ſit res ſcitu digna, nec uacet doctrina ad lucrum ſapientiæ ac prudentiæ nõ pœnitendum:* L*ector attende.*

E*xploratißimum eſt rerum naturæ repugnare, ut quis ualeat intellectu recipere aliquid falſum quaſi uerum, niſi ſub ſpecie ueri illud ei obijciatur: et ſimiliter recipere uoluntate ac probare*, & *appetere aliquod malum, quod non ſub ſpecie boni obiectum fuerit.* I*llud ergo mirum non eſt, quòd quis falſum aliquod probet quaſi uerum, cum ſæpè id cõtingat, ut quod eſt falſum,*

in ueri ſpecie obijciatur. Nec *ſimiliter mirum eſt quòd uoluntas in aliquod feratur quod ſit malum, cum & hoc ſimili modo ſit ualdè frequens, ut malum quaſi bonum ſeſe illi offerat.* Contingunt *enim frequenter in hoc & in altero deceptiones, & apparentiæ.* Illud *omninò mirandum quòd falſitas illa, quæ nimis pateat, ueritatis faciem induat: & ſimiliter euidens & inſigne malum, ut bonum obijciatur.* Hoc *eſt quod meritò excitare ualeat admirationem, donec uerè cauſſæ intelligantur, quarum notitia admiratio euaneſcat.* Nam *ignoratio cauſſarum, admirationis excitatio eſt.*

Cauſæ defectionis Lutheri & aliorum illi ſimilium.

P*Rimò igitur admirari liceat eos qui tantorum autores fuere malorum, ac ſimul inquirere:* Quinam *fieri potuerit in primis, ut* Lutherus *uir ingenio pollens, & literis non ineruditus, minime uiderit adeò ingentia abſurda quæ loquebatur? quæ ſi uidit, quopacto ea tanta fronte, quaſi uera & ſancta, poterat affirmare?* Et *quod de* Luthero, *idem & de ijs, qui eum ſecuti ſunt, & ſe ipſos fecere magiſtros errorum, ſimul poteſt inquiri.* Reſpõdemus *autem ad hoc,* Primũ *non magnoperè eſſe mirandum, quòd uiri animo atq; ingenio paulò ſublimiore prædidi, quales multi inueniuntur, gloriæ cupidine capti, errare incipiant, & à uero primùm aliquantulum deflectere, unde & à uia recta declinent, de errore in errorem prolabentes, & ita paulatim in profundum malorum demergantur, ut ibi ſe tandem inuenientes, & captiuos* Diaboli *factos ſe agnoſcentes, omni de ſpe decidant, atque con-*

temnere incipiant, & dicant. Iacta eſt alea: quorum et illud propriũ: Vna ſalus uictis nullã ſperare ſalutẽ. An, quæſo, erit mirum cadere Lutherum de terra, cũ ſciamus de cœlo cecidiſſe Luciferum, incõparabiliter iſto homine doctiorem? Et cecidiſſe primum patrem noſtrum Adam, etiam extra cõtrouerſiam ſapiẽtiorẽ? Nõne aſsiduè perſpicimus Apoſtoli ſententiam in multis fieri ueram: Scientia inflat, charitas ædificat? Sed ut hanc hiſtoriam noſcant poſteri, et rem non eſſe tãtoperè admirandam monſtremus, attendat lector. 1. Cor. 8.

Lapſus Lutheri conſiderãdus

Cœpit primũ Lutherus zelo fortè non prorſus malo, ſed ſub quodam iuſtitiæ colore ac prætextu, attamen non ſecundum chriſtianam neque prudentiam, neque modeſtiam, de abuſibus quibuſdam conqueri ac tendere controuerſias. Nam audacter nimis, & non modo quo oportebat, & multò minus iuxta id quod ſpectabat ad monachum, quem decebat eſſe humilem, ac plorãtem ſua ſimul ac aliorũ peccata, potius quàm in ſpiritu uindictæ & ardoris aliena, præſertim maiorum ſuorum, delicta traducere & corrigere, atque ſic emẽdare illos, quos Dominus præpoſitos illi dederat. Sic inuaſit eum imprudentem primùm ſuperbia & præſumptio ſub ſpecie defenſionis iuſtitiæ: Tum oblata eſt illi occaſio ſeſe iactandi & oſtentandi populo, cui cœperat ab initio ſcæna illa placere. Hinc uenit in eũ auſum, ut proponeret et publicaret diſputationem, ubi uiſus eſt autoritati ſummorum Pontificum non nihil detrahere ac derogare. Placebat ea tragœdia multis, & laudabatur à nõnullis Lutherus, & ita cœpit efferri,

& audere etiam amplius. Sed a ſapientibus, & qui rē & periculum magnum perſpiciebant, deprehenſus eſt errare à ueritate, & cum à nõnullis reprehenderetur atq; admoneretur, nec ſuſcepit correctionē, nec ſiluit. Sed quemadmodum euenire ſolet, ut error errorē pariat (quia cum unus defenditur, in plures labaſcere neceſſe eſt) ſic accidit iſti miſero. Venit ergo res in Pontificis cognitionē; Tunc metus confuſionis, & fallax gloriæ cupido (ſuggerente interim Sathana, & cor hominis incendente) obtinuit ut erroribus proteruia ſimul & obſtinatio adiungeretur, quæ per agnitam ueritatem, & non confeſſam metu illo cõfuſionis, imò etiam deſpectam amore inanis gloriæ, excæcauit hominem, qui magis hominū gloriam falſam dilexit, quàm Dei gloriam, & ueritatem. Verè nemo, ut natura inſtitutus eſt, errare uellet. At poſtquā cæpit errare, non eſt hominis confiteri: hoc enim ſuperat facultatem filiorū Adæ. Sic igitur ex uno lapſu in aliū, atq; inde in alium ruens, ac ſemper deteriorem, non eſt mirandum hunc hominem ſit tandem in baratrum ſcelerū, ac perfectæ immanitatis ſtatum, quem deſcripſimus, corruiſſe, præſertim cum inuenerit multos prurientes auribus, quas ſuis illis placidis ac beatificis dogmatibus ſcalpens atque demulcens, fecit attentas, ut inde ipſi licentiosè in ſua deſideria delaberentur. Simili enim modo & alij multi hæreſiarchæ à Dæmone decepti ſunt, & qui ſunt illos ſectati ſimiliter. Quare ſicut de Luthero nõ proponitur nobis admiratio, quòd ita deſipuerit, et in beſtiam feram, qualem illum uidimus, ſit mutatus,

Nota & time quicunque hunc ſpiritum ĩ te ſentis.

ita nec de illis qui illum ſunt imitati,& illi fauerũt ab initio,ſua doctrina et ſcriptis,ut fuit Oecolampadius, Zuinglius,Capito, Bucerus, *& ſimiles multi. Cœperat etiam & in hanc tragœdiam deſcẽdere* Eraſmus, *ſed reſiliuit.* Non *enim fuit dignatus homo ſuperbus ſub* Luthero *militare,nec auſus eſt aperto* Marte *pugnare contra eccleſiam,ut etiam plus tali aſtutia noceret* De *his ergo eſt in promptu ratio ſeceßionis eorũ, quæ ferè omnium hæreſiarcharum communis eſt,uidelicet,appetitus gloriæ per famam doctrinæ & diſputationum .* Videbant *enim non eſſe ſibi locum in eccleſia catholica,unde grande ſibi nomen facilè compararent,niſi per controuerſias iſtas.* Nam *hac una uia euaſiſſe nobilem* Lutherum *uidebant, quòd contradixiſſet eccleſiæ, & noua propoſuiſſet quæ defenderet.* Adde *quòd neſcio quonam modo maiorem ſperamus gloriam de mendacij, quàm de ipſius ueritatis patrocinio,cum illud difficilius appareat.* Nã *et iuriſconſulti & cauſidici,illi demũ glorioſiores & doctiores,uidẽtur,qui nouerũt defendere ſuis technis etiã cauſſas malas.*Quare *nec mirum quòd (cæteris paribus) plures & acriores inueniat defenſores ſecta ueritati contraria,quàm eccleſia, quæ ipſam ſequitur ueritatem ſemper & colit.*Quibus *& hoc adde,quòd uidebãt ij maligni oportunitatem, et locum ſuæ doctrinæ paratum.* Conciliatas *enim eſſe plebes,& iam factas mendaciorum dociles inuenerunt.* Nã *quod prædicabatur à* Luthero,*& contra ſacerdotes, & pro carnis petulantia & laſciuia iam noſcebant uulgo, & multitudini mi-*

rum in modum eſſe plauſibile.

Cauſæ defectionis populorum a.S. Dei Eccle-ſia & à uera fide.

His igitur rectè conſideratis perſpicum redditur de huiuſmodi ſeductoribus, nõ eſſe mirum quòd ſic glorioſæ falſæ cupiditate decepti, excæcati ſint, ut tam nihil de futuro regno ſperantes, hoc ſolum pro ſolatio capiant, uidelicet illudere, & alios trahere in rete ſuum. Quare de his qui ab illis ſeducti ſunt, ſupereſt admiratio, quam & ſuperioribus libris propoſuimus, quòd tot populi relicta matre ſua Eccleſia ſancta; ſpretis cunctis antiquis ritibus diuini cultus, et maiorum religioſis conſuetudinibus abiectis, nulla uitæ ſanctimonia horum ſuorum Apoſtolorum adducti, ſed ecõuersò, cũ multa ex omni parte appareant argumẽta, & ſigna certa peßimæ & peſtilẽtißimæ doctrinæ, nec ijs tamẽ deteriti, potuerint tã immani & truculẽtæ feræ ſuapte ſponte ſeipſos adiungere, atque illi adhærere. Nam & B. Paulus mirabatur, non illos ſcilicet Apoſtolos Galatarum ſeductores, ſed ipſos Galatas, qui per Rabbinos illos tam citò, ac tã ſtultè, ab eo euangelio recedebant, quod eis erat tanto ſpiritu à ſe prædicatum, & tot tantiſque ſignis confirmatum. Ait enim. Mirum quòd ita citò transferimini ab eo qui uos uocauit in gratiam CHRISTI *&c. Quòd uerò pſeudoapoſtoli illa traderent, non mirabatur: cauſſam enim uidebat manifeſtam, quam etiam expreßit: quonã uolebant illi gloriari in carne eorum, hoc eſt, carnalem gentis gloriam appetebant, quam et*

Ad Gal. 1.cap.

ipſi gloriæ cauſſa defendebant, uolentes uideri magiſtri, non quòd uerè curarent de religione. Vnde de illis ait: Neque enim qui circunciduntur legem cuſtodiunt, ſed uolunt in ſpeciem placere in carne, & uolunt uos circuncidi, ut in carne ueſtra glorientur. Ibid. c. 6.

In hanc igitur cogitationem uenientem, prudenter conſiderare oportet, nō omnes qui Lutherum. et alios huiuſmodi magiſtros ſectati ſunt, & adhuc ſectantur, hoc ea gratia feciſſe, aut facere, quòd eos ueraces eſſe arbitrati ſint, aut etiam arbitrētur, ſed multi uel auaritia moti, cum licuerit eis, per horum doctrinam fieri templorum, omniū et rerum eccleſiaſticarum ſpoliatores: uel carnis libidine impulſi, quoniam horum dogmata plurimum carni blādiuntur, cū omnem chriſtianum luctum, & abſtinentiam, & caſtitatem, & cōtinētiam, ut ſuperſtitioſam abijciant: uel denique odio concitati, quo in ordinem clericalem, et monachalem agitantur, in horum partes ſe tranſtulerunt, his affectionibus, & ſi quæ ſunt aliæ huiuſmodi, nimis uehementur correpti. Itaque plurimi ſunt quibus hæreticorum ſcripta placent, non quia hæreſes placeant, ſed quia ij diſplicent, contra quos illi inſultant. Sic nonnunquàm inter eos iungi uidemus fœdera, qui non ſe mutuò diligāt, ſed ut facilius alium, quem magis oderūt, expugnent. Illud item ualdè credibile eſt, plures eſſe qui etſi fortaßis ab initio decepti fuerint, quando non adeò inſana pronuntiabat hæreticus, non tamen poſtmodo nota ueritate animo his adhæreant, ſed metu, uel pudore: & quia magis homines quàm Deum me-

tuunt, & ſuam apud homines gloriam diligunt, magis quàm gloriam Dei, non audent ab eo quod ſemel ſunt profeßi recedere. Permitto *tamẽ eſſe multos uerè deceptos, ſed homines imperitos, ac defece uulgi, eos præſertim qui nihil aliud audiuerũt, cum multum ualeat conſuetudo.* Fuiſſe *item, & eſſe adhuc quàm plures ſuapte natura animo leues, curioſos, nouarum doctrinarum cupidos, qui quaſi arundines quouis uento et hac illacq; ſe impelli pmittunt, & quaſi animalia bruta prætextu fœni abduci ad iugulum.* Omnis

Iſa. 40. *enim caro fœnũ, et omnis gloria eius quaſi flos fœni.* Vide *igitur prudens lector, quantũ minuat horũ conſideratio cõcœptam admirationem.* Hæc *doctrina fauet auaritiæ, fauet libidini, & licentiæ carnis.* Quid *autem non mortalia pectora cogit, (inquit ille* Vates*) auri ſacra fames?* Et *ad quod ſcelus & flagitium adeò inſigne, carnis libido non trahat, quæ cœcat oculos, & facit idolatrare ſapientißimos?* Quod *etiam qui fieri cupiunt doctores plebium ſicut, ſunt multi, quibus eſt dulce illud nomen,* Magiſtri, *quid mirum ſi ea emulatione incenſi, feruntur ut loquantur populis quæ iam uident eis placere?*

Adhæc *(quod nullo pacto debuit preteriri)* Corruptio *principum maximum fermentum eſt, quo & facilè corrũpãtur plebes.* Tunc.n. *& impunitas eſt impietatis, quũ iam ipſe princeps impius euaſit:* Imò *tũc eſſe piũ non licet.* Hoc *ego à principio metuebã, & palã ſignificaui principibus.* Si *enim illi ſeſe continuiſſent in eccleſia, non adeò propagatum fuiſſet hoc malum.* Te

ſtatur hoc Germania tẽporibus noſtris: teſtatur et Anglia, quæ hoc pacto corrupta eſt. Libido, auaritia cœpit animos principũ, et placere cæpit exſpoliatio tẽplorũ, atq; eccleſiaſticorũ bonorũ depredatio: et per hæc ſeducti ſunt populi. Multi enim timore principũ, multi aſſẽtatiõe pellũtur, præter eos qui ſua ſpõte currũt.

Quomodo non eſt omnium fedes.

P*Ræterea, ne nos, Dei gratia peritiores, decipiat peritia noſtra, illud cogitare debemus, res diuinas lõgè à captu humano abeſſe, niſi adſit aſſiduũ, (nõ quod eſt omnium) diuinum lumen. Illud. n. certiſſimum eſt, multa eſſe notà multis, quæ ab aliorum notitia longè abſunt: Et ſimiliter eundem hominem per diſciplinam uenire in cognitionem eorum, quæ anteà ignorabat. Vſu uenire etiam uidemus, mirari ſapientes id quod illis ſit in perſpicuo, alijs obſcurum eſſe. At hoc non ſapienter. Non eſt enim omnium idem lumen. Ecce ego, ut de me loquar, confiteor iniquitatem meam, cum ſæpenumerò tracto quædã, aut ſermo incidit cũ pluribus, de quæſtionibus Theologicis, quarum ego reſolutionem (Deo gratia eſt) multo ſtudio, & iuuante Domino, exiſtimo me aſſecutum, interdum admiror audientium nõnullos, quos uideo non ſtatim capere & apprehendere, quod perſpicuo (quantũ fieri poteſt) ſermone expoſuiſſe mihi uideor, & eorum ingenij tarditatem tacitus incuſo, niſi quòd ſtatim ad me rediens, reprimo meipſum ac reprehendo, cogitans qualis eſſem et ego priuſquàm illa didiciſſem, ſimulq; recolens fuiſſe tempus, quãdo uel ipſos problematis terminos igno*

eos conſenſerit, iam deprehendere incipio naturalem hominum, circa ea quæ Dei ſunt, inſipientiam, & ad omnem deceptionem ſuſcipiendam, Dæmone adiuuante, & Deo permittente, uehementer expoſitam multitudinem. Memini enim quid ſcriptum ſit in Iona propheta de Niniue, quòd erant in ea pluſquàm centum uiginti milia hominum ignorantium inter dexterã & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa. Hic igitur incipit mihi omnis admirationis ratio euaneſcere. Ione 4

Sed uolo ut in eleganti parabola Domini hoc totũ recognoſcamus, dixit enim. Simile eſt regnum celorum homini patrifam. qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, & cum dormirent homines, uenit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania. Ipſemet enim Dominus exponẽs ſimilitudinẽ, declarauit, Quòd ager erat mundus, id eſt, homines mundo incumbentes. Quòd ſator boni ſeminis, ipſemet erat: quod ſemen bonum fuerunt Apoſtoli, quos primùm eduxit de mundo, & inſtruxit, & fecit eos tanquàm bonum triticum, & bona ſemina, & mittens in hunc mundum quaſi ſparſit & ſeminauit. Dixit enim: Euntes in mundum uniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ &c. Eos igitur recipiens mũdus, id eſt, eorum exempla et doctrinam, fructum ſibi parere potuit ad ſalutem: quia dixerat dominus. Qui uos recipit me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Et qui recipit iuſtum & prophetam, in nomine iuſti, & in nomine Prophetæ, mercedem iuſti, & mercedem prophetæ accipiet. Inimicũ uerò hominem qui ſuperſeminauit zizania, quæ homi

Matth. 13. Marc. ult. Matth. 10

nibus dormientibus, declarauit eſſe Diabolum. Ipſa uero zizania, quæ ſunt mala ſemina, & aduerſus triticum, dimiſit noſtre intelligentiæ, ut per ea è regione ueri ſeminis, id eſt, uerorum Apoſtolorum, facilè agnoſceremus pſeudoapoſtolos, & pſeudoprophetas, hæreſiarcas, quos ſeuit ille malus homo, & iecit in mediũ tritici. Iſti enim in medio eccleſiæ ueniunt, & quaſi bonum triticum ſeſe exhibent mũdo. Tales fuerunt omnes ueteres hæreſiarchæ, et nũc iſti recentes, Lutherus, & alij quos ipſe peperit, peßima ſemina, & zizania inutilia, & noxia agro. Ex hac igitur Dominicæ parabole enarratione, dum audimus mundum, hoc eſt, mundanos comparari agro, protinus exaudimus, quòd ſicut non eſt agri diſcernere ſemina quæ ſuper ſe iaciuntur, ſed quantum in eo eſt, inuenitur ager paratus ad ſuſcipiendum utrunq; ſiue bonum, ſiue malum, ſuper ſe iactum ſemen, ſic nõ eſt mundi diſcernere doctrinarum ſatores, & ipſas doctrinas. Sed incertum uulgus & plebes ſuapte natura, & per diuerſas mundi huius curas diſtractæ à conſideratione rerum diuinarum, quodcunq; tanquam pium & ſanctum illis proponatur, abſq; diſcretione paratæ ſunt recipere, imò ſi dixerim, ſuapte natura, mala potius quàm bona ſemina ſuſcipient ac retinebunt, non errauerim. Rudes enim in primis ſunt plebes, & parum capaces ſpiritualium ueritatum. Sunt et animales, carnales, inſtabiles, curioſæ, amantes carnis libertatem, & gaudentes nouitatibus, quæ cuncta ſanæ doctrinæ aduerſantur. Sunt & curioſæ. Nam & omnis anima indocta (ut uerè te-

ſtatur B. Aug.)*curioſa eſt*. Quare *nihil mirum quod receperunt hæc zizania, id eſt, hos doctores, cum doctrinis ſuis, eorum deſiderijs & concupiſcentijs fauentibus. Sic igitur euenerunt iſta quemadmodum habet parabola.* Plantauerunt, *rigauerunt* Lutherus, Melanthon, Oecolampadius, *& alij ſatores peruerſorum dogmatum.* Diabolus *autem(* Deo *permittente)incrementum dedit.* Magna *enim* Diaboli *eſt ars, multa ludibria, multa præſtigia quæ ignorat mundus, neq; cogitat quòd ij illuſores non à ſemetipſis loquũtur, ſed quæ illis* Diabolus *occultè inſpirat.* Quare *nolo glorientur, ſi quid argutum aut elegans quandoq; proferunt etiam de ſcripturis.* Non *enim illi ſunt qui loquuntur, ſed* Cacodæmones *in illis.* Quare *non mirum ſi ab illis adiuti nihil adeò abſurdum prædicant, quod non* Diabolicis *technis uel excuſent, uel probabile per extortas ſcripturas aliquo modo reddant, non quidem ſapientibus & firmis in fide, ſed uulgo rudi ac inſipiẽti, & ijs qui nutant, cum ueritas eis* Euangelij *non eluceat ob animi impuritatem, & tænebras peccatorum.* Sed *libet nunc magis ad particularia deſcendere, ut dolos & uerſutias eorum aperiamus, & euertamus fundamenta munitionum ſuarum, quæ iecit, qui eſt pater mendacij.*

Quomodo latenter in unum articulorum fidei impingant omnes hæretici, quem tamen oſtentant ſe maxime confiteri.

C*Vm multis modis iſti decipiant imperitos, uel hoc ipſo maximè quod principales fidei aticulos, qui*

ſana doctrina? Scripturæ enim & nobis et uobis cõmunes ſunt, Imò uos illas in eccleſia noſtra inueniſtis, et ab ea probatas ad ueſtrã traduxiſtis eccleſiam. Hic ergo libenter *uelim mihi à uobis reſponderi, ſi quis uos interrogaret:* O *miſeri, unde ſcitis has ſcripturas eſſe diuinas?* Q*uid poteſtis reſpõdere, niſi quod ueritas manifeſta cogeret? et quod ipſe* Lutherus *nonnunquàm confeſſus eſt, uellet, nollet, uid. hoc eſſe aceptum ab eccleſia uera, ſub* Papatu*, quod fuit ex ore ſummorũ* Pontificũ? Proferat *nobis* Lutherus, *hoc teſtimonium, uelit nolit.* Ipſe *in libbo aduerſus* Catabaptiſtas*, ſit ait:* Fa*temur ſub* Papatu *multa bona ad nos promanaſſe, nempe ueram ſcripturam ſanctam, uerũ baptiſmum, ueras claues ad remittenda peccata, uerum prædicandi officium, uerum* Cathechiſmum*. hæc ille.* Ecce *quàm clarè fatetur, ſub* Papatu *iſta multa bona contineri, & inde ad eos promanaſſe, qui à* Papatus *obedientia receſſerunt.* Non *igitur à uobis probatæ ſunt ſcripturæ, ſed ab illa eccleſia quam uos nunc negatis* Chriſtia*nam: & rectorem illius dicitis* Antichriſtum. Age *redeamus nunc ad inceptum.* Interrogo, Cum *habeamus eaſdem euangelij ſcripturas, & dicatis uos habere puram euangelij interpretationem atq; doctrinam, & nos itẽ ſimiliter, quis modo diſcernit uos uerum dicere, ac per hoc quòd uos ſitis una illa uera eccleſia, qui heri nati eſtis, ac non potius ſimus nos, qui à patribus non receßimus, & ideò uerè dicamus quòd uos ab unitate ipſa ueræ eccleſiæ receſſeritis?* Nam *ſicut, ut uis ipſa ueritatis fateri uos cogit, ſub* Papatu *probatam*

recepiſtis ueram ſcripturam, pari iure ueram eius in terpretationem ſub Papatu recipere uos debere, rectè hac ueſtra confeßione nobis probatis. Cuius eſt enim probare ſcripturas, eius etiam eſſe earum ueriorem ſenſum in omni controuerſia agnoſcere ac declarare, probabißimum eſt: quoniam utrunq; ab eodem ſpiritu uenire oportet, & utrunq; in eccleſia reſidere, & non uagari modo huc, modo illuc, aut unum in una, alterũ in altera, id eſt, ab ea eccleſia interpretatio quærenda eſt, à qua ipſa diſcretio ſcripturarum, ut non ſit uacillationis & nutationis neceßitas in eccleſia. Sicut igitur hoc uos ipſi uobis non arrogatis, uidelicet autenticam ſcripturarum probationem, ſic nec ipſarũ autenticam ſcripturarum S. interpretationem debetis arrogare; Aut enim utrunq;, aut neutrum. Sed alterum iam nõ fuiſſe ueſtrum, uidel. probationem ſcripturarum & uos fatemini, & ipſa minis manifeſta ueritas demonſtrat: Ergo nullam ad uos pertinere, O miſerrimi, confiteri cogimini. Sed ſicut primũ ab eclеſia uos recipere non poteſtis negare, ita cum alterum recuſatis, ueſtro uos ipſos iudicio turpiter condemnatis. Ad hæc, iſtam unam Eccleſiam, quam dicitis eſſe uos, unde continuatis? aut quando incepiſſe dicitis? Si nũc, id eſt, à Lutheri prædicatione, iam eſſe uos manifeſtè deriſores probatis. Nam ab initio ſæculorum fuit eccleſia. Si dicitis incæpiſſe anteà ab initio, & à temporibus Apoſtolorum, & ita creuiſſe, & ita continuatam fuiſſe: O miſeri, nõ uidetis quòd ueſtras eccleſiæ notas amittitis, quæ ſunt doctrina pura, & uſus atq; admi-

niſtratio

niſtratio recta ſacramentorum. Nam *ueſtra iſta doctrina pura paulò antè non erat in uniuerſa eccleſia: Non enim docebatur uſpiam, ſicut uos docetis dũtaxat ab annis triginta, contra ſacramẽta, contra ſacrificia, cõtra uota monaſtica, contra poteſtatẽ* Romani Ponti. *eiuſq; primatum, et ita contra alia multa quæ ſemper tenuit & obſeruauit eccleſia.* Nec *enim ulli erant tales doctores, et ſi qui aliquando docuerunt, damnati ſunt: nec ſolum ſiluit, ſed etiã ſepulta iacuit cũ ſuum opprobrio talis doctrina cum doctoribus ſuis.* Amplius *ueſter ille uſus ſacramentorum pariter nuſquàm apparebat, ſed uſus qui eſt apud nos, uiguit ſemper.* Erat *igitur eccleſia, ut uos dicitis, ſed ut oportet uos dicere, non erat cum ſuis notis, ideò incerta & abſcondita; quam uos non poteſtis oſtendere, ita ut nihil ſit notione ueſtra ignotius, & in hoc oppidum ſic anguſtum, miſeri, copias ueſtras cogitis, ubi manere non poteſtis, & ſic illuditis miſeris plebibus, quæ non conſiderant iſta eſſe propria & antiqua hæreticorum diffugia, ac nimis iam protrita et putrida.* O *miſer* Bucere, *quãtis hoc in loco anguſtijs angeris, nec locum inuenis, nec ullam rimam (tametſi ſis callidiſſimus) unde ualeas exire ueterator.* Q*uando hoc factum eſt, aut quo exemplo defendis unquàm in* CHRISTI *eccleſia, quod ipſe auſus es, ut ſis idem ſacerdos & monachus, ſiue trigamus aut digamus, doce me quodnam ſit uerum ſacrilegium, ſi hoc uerũ non ſit? Oſtendite nobis ò hominum infœliciſſimi, quando talis fuit eccleſia, aut ubi locorum?* Q*uòd ſi erat, non tamen apparebat,*

quomodo implebatur illud præceptum Domini: Dic
Matth.18. *eccleſiæ?* Et *ſimiliter multa quæ probari debeant per conſuetudines,& iudicia ipſius eccleſiæ certa, quomodo tunc probabantur,cum incerta eſſet eccleſia?* Et *cũ eccleſia uniuerſalis in multas particulares diuidatur, quibus notis iſtæ inuicem diſtinguebantur ?* Et *cum oportebat ad* Catholicã *conuenire,quò,rogo, cõueniebant aquile.* O *truffatores,o confuſores,o perditores innumerabilium animarum.* Q*uid putatis? poſtquàm eluſiſtis iudicium terreſtris eccleſiæ, etiam poſſe eludere de cœlo iudicium, quod ueniet cito,& requiret à uobis ſanguinem tot animarum ueſtris incãtationibus ſubuerſarum?ſicut iam experitur anteſignanus et coripheus ueſter* Lutherus.*Sed ad rem.* E*cce quàm manifeſtè confundentes iſto modo eccleſiam,non oſtenditis nobis unde,& quo pacto dicatur una,ut illam cernamus,ſicut nos qui dicimus, quòd nõ ob aliud dicitur una,niſi quòd cũ ipſa eccleſia diſtincta & uaria membra habeat, illa tamen membra ſub uno capite(quia unum eſt organicum corpus)colliguntur,& deriuãt, & continentur, unde deriuant per ſuas iuncturas opportunæ ſubminiſtrationes et munera ad nutriẽdum, conſeruandum,& augendum ipſam,ut ſit unum corpus,non plura,in quo ſicut membra uaria,ita inuicem colligata & ordinata inueniantur,ut non ſit ſchiſma*
1. Cor.12. *in illo,ſicut eleganter declarat* Apoſtolus. *Hæc eſt unitas eccleſiæ,quæ ab uno corpore uenit,quod oſtẽdimus palàm, ut huius unitatis notam nos in promptu habeamus ad cognoſcendum membra quænam ſunt in corpo*

re, & quæ extra corpus, ut qui manent ſub capite CHRISTI Vicario, ſint in corpore: qui autem ab hoc capite ſeparantur, eſſe in corpore nequaquàm poßint, ſicut omnes ſancti una uoce ſemper clamarũt. Ecce B. Hieronymus clamat ad Damaſum Papam. Quamquàm me tui terreat magnitudo, tamen inuitat humilitas, à ſacerdote uictima, ſalutem: à paſtore præſidiũ ouis flagito: faceſſat inuidia, Romani culminis recedat ambitio, cũ ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo CHRISTI loquor. Ego nullum præmiũ niſi CHRISTVM ſequens, beatitudini tuæ, ideſt, cathedræ S. Petri communione conſortior. Super illam petram fundatam eccleſiam ſcio: quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe nõ fuerit, peribit regnante diluuio. Quicunque non tecum colligit, ſpargit, hoc eſt, qui CHRISTI non eſt, Antichriſti eſt, hæc ille. ut intelligat (ſi poteſt) hæreticus quòd qui ſub capite Papa manet, etiam manet ſub capite CHRISTO. Et contrà, qui à capite Papa ſe ſegregat, noſcat ſe & à CHRISTO eſſe diſiunctum. Nota uerba uiri tam docti, tam ſancti, tam confidenter loquentis. Quicunque, ait, tecum nõ colligit, ſpargit (hoc eſt) qui CHRISTI non eſt, Antichriſti eſt. Audis igitur tu modo Melanchthon, & tu Bucere, quod iam ſentit Lutherus? Auditis & uos alij ſocij & coniuratores in CHRISTVM Domini? Auditis ne inquã, in qua parte eſtis uos? ait D. Hieronymus quàm manifeſtißimè. Qui non eſt cum Damaſo, ideſt, cum Papa, non eſt cũ CHRISTO. Qui non eſt cum CHRISTO, certè cũ

B. Hie. ad Damaſũ.

Antichriſto eum oportet eſſe,hoc eſt, cum Lucifero, qui primus cœleſtis Antichriſtus *fuit.* E*ſtis ne iã certi ſi huic tãto uiro creditis, ubi ſint partes* Antichriſti *quas uos fouetis? Sed ſcio iam non audire uos quæ faciunt ad ſalutem, quia uideo de uobis loqui* Prophetã,

Pſal. 57. *& uos graphicè ſignificare,ubi ait:* Alienati *ſunt peccatores à uulua, errauerũt ab utero, loquuti ſunt falſa:furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ,& obturantis aures ſuas,quæ non exaudiuit uocem uenefici incantantis ſapienter.* Deus conte*ret dentes eorum &c.* Attuli B. Hier*onymnm,qui poterã producere innumerabilia teſtimonia ſanctorum idem probantium, ſi fuiſſet hic locus.S*ed *ita protuli, ut prudens lector conſyderaret,quòd illa ſententia nõ erat unius* Hieronymi,*ſed omnium* Catholicorũ, *quia rem tantam ac tanti præiudicij nunquàm de ſenſu proprio protuliſſet uir tantus,tam doctus, tam pius, niſi eſſet ab omnibus comperta,perſpecta,& proculdubiò ab omnibus recepta ſententia,* Alioqui *grauiſſimum et quidem inexpiabile fuiſſet piaculum,ea tanta tribuere* Damaſo,*ſi illi non conueniſſent,ut qui cum illo non eſſet,uidelicet fide & obedientia,protinus nec eſſet cũ* CHRISTO. E*am igitur ſententiam ſciebat communem eſſe omnium* Catholicorum.N*am &* D. Cypria*nus ferè eodem modo eam pronuntiat, contra ſequentes dogma hæreticum* Nouati *ſiue* Nouatiani, *aiens:* Q*ui apud* Nouatianum *eſt, apud* Cornelium *non eſt, qui* Fabiano *legitima ordinatione ſucceßit.* Et *qui apud* Cornelium *eſt,apud* Nouatianum *nõ eſt.hæc ille,*

Quæ profectò uerè dici nõ poſſent, ſi à Pontifice ſum mo falſa poſſet approbari doctrina. Quare & idem B. Hier. *audet uocare nõ catholicum, eũ qui reprehen derit quod ſuo iuditio approbauerit* Papa. *Loquimur autẽ de iudicio ſerio ac deciſiuo, non de quacũque opi nation, aut pronũctiatione* Papæ. *Sed miſeræ & ine ruditæ plebes, nõ ſolũ iſta non audiunt, ſed cõtra hæc aßiduè audiunt à ſuis hypocritis et ſymmiſtis inculca ri.* Idcircò *nõ mirũ, ſi ẽt in meridie cæcutiãt ſuis cõclu ſi parietibus, quos lux ueritatis iam penetrare nõ ua leat.* Decipiuntur *quã maximè & iſti pſeudoapo ſtoli in alijs eccleſiæ notis. Aiunt. n. eccleſiam ideò dici ſanctam eccleſiam, quia non eſt niſi ſanctorum colle ctio, ideſt, eorum quos illi uocãt ſanctos, ideſt, dei filios electos ac prædeſtinatos, & illa ſua certa fide (quam docent) certos æternæ ſalutis. At non ſic docet ipſa ue ra eccleſia* Dei *ſancta, nec euangelium* CHRISTI: *Quinimò damnata eſt iſtorum peruerſa opinio, quæ prætextu ſanctitatis, quam ignorant, ſe commendat.* Nam *eccleſia quæ hic eſt in terris, & quæ regnum cœ lorum in euangelio dicitur, conſtat ex bonis & malis, ex his tamen qui dederunt nomen ſuum in profeßione baptiſmi, ſicut eleganter in multis parabolis docuit Dominus, ut in parabola ſagenæ, uirginum, & nuptia rum: ſed poſt hoc ſæculum quando eccleſia purgata erit, & ſegregatum triticum à palea, uerum fiet illud* Matth. 13. *Apoſtoli perfectè, quod ſequitur.* Non *habens macu lam neque rugam.* Interim *nobis eſſe certam* Eccleſiã Epheſ. 5. *oportet, quæ eſt congregatio fidelium.* I*ſti autem cum*

incertam dederint nobis eccleſiæ, quæ eſt hæc occulta ſanctitas, conſequenter neceſſe eſt ipſam quoque eccleſiam manere incertam & occultam, niſi quòd ipſi ita ſunt modeſti, ut hanc ſibi ſolis uendicent ſanctitatem, & ita de incerta rurſum reddant certam eccleſiam, uerum ſibi ſolis ac ſuis. O præſtigiatores diabolicos. Quid (quæſo) eſſetis, niſi fideretis in carne quæ appetit libertatē? Et nos dicimus quòd ipſa fidelium eccleſia dicitur ſancta; quia habet à Deo *ſanctificationis gratiam, & dona ſpiritus,* In *multis quidē re ipſa, & in cæteris poteſtate:* Et *hoc ſatis eſt ut rectè ſancta dica-*

1.Petr.2. *tur.* Vnde B. Petrus *generaliter dixit:* Vos *autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta &c.* Et *tamen nō ignorabat eſſe poſſe quòd aliqui ex illis fortè non erant in gratia* Dei, *ſed id quod ex* Deo *erant, & quod ipſi eſſe debebant conſyderatur, ut uerè fiat ſermo: quia in eum ſtatum uocati, & iam erecti erant ut eſſent ſancti. Quapropter & admonet eos ut aſsiduè ſanctificent ſemetipſos, quia dictum eſt eis.* Sancti

Leuiti. 11. *eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Dicitur *& ſancta eccleſia propter ſanctitatem* Præpoſitorum, *& ſummi præſertim* Hierarchæ. *Illam dico ſanctitatem, nō qua anima illorum ſanctificatur, quæ ſanctificatio communis eſt illis cum cæteris, ſed qua ipſi poteſtate præcellunt alijs, quæ poteſtas ſancta dicitur: quia à prophanis ſegregata, & ad ſanctificandum conſtituta, & firmiſsima* Dei *prouidentia ſtabilita eſt.* Nam *& ea ſancta dicuntur, quæ firma ſunt.* Vnde *& ipſi ſummi* Pontifices *etiam ſancti uocātur: quia ſancta eorū poteſtas,*

ſolium ſanctum, & cathedra ſancta, id eſt, illibatæ ueritatis, ac perpetuæ firmitatis. Iuxta hanc prouidentiã Domini *habes in euangelio,* Ieruſalem *uocatam ciuitatem ſanctam, contra quam tamen dixit* Dominus: Ieruſalem, Ieruſalem, *quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt. Quomodo igitur erat ſancta, quæ lapidabat prophetas, & ipſum* CHRISTVM *crucifixit? niſi per id quod erat in illa a* Deo, *uidelicet, regnum* Dei, *templum & ſacrificium* Vocamus et *catholicam eccleſiam hanc unam, quoniam uniuerſalis eſt, quæ non certa gente aut natione, ſeu loco concluditur, ſicut olim ſynagoga.* Reddite *ergo uos, ſi poteſtis, hanc notam nobis claram, ut cõueniat eccleſiæ ueſtræ. Quis enim huic ueſtræ catholicæ præſidet, ſi forte illum ualeamus dignoſcere? Si* CHRISTVM *dicitis, uerba hæc ſunt communia hæreticis cunctis.* Nam *uos deſignat nobis ipſe* Dominus *cum ait,* Prophetas *falſos dicturos:* Ecce *hic eſt* CHRISTVS, Ecce *illic.* At *nos, certam eſſe hac nota conſtituimus eccleſiã, quia illius* Vicariũ *agnoſcimus præſidentẽ, cui ab ipſo* CHRISTO *demandata fuit cura:* Imò *quia* Ro. *eccleſia propter ſummum ipſum* Paſtorẽ *præcipua eſt inter alias particulares eccleſias.* Ideò *hæc una meritò id ſibi nomen; catholicæ; ſingulariter uendicauit.* Cæteræ *non ſingulæ, ſed communiter catholicæ dici poſſunt: & quando dicuntur, ob hoc tantum eam appellationem participant, quòd hanc ſequantur, quæ ſingulariter catholica dicitur, cui catholicus præſidet ipſe* Ro. Epiſcopus. Hæc *una ſimiliter hoc ſibi uendicauit ob eandẽ*

Matt. 24.

Marc. 13.

gratiam, ut & Apoſtolica dicatur eccleſia. Nam cum reliqui Apoſtoli ſucceſſores amiſerint, hæc una ſola, in qua ſedit uertex Apoſtolorum, ſicut catholica, ita & Apoſtolica ſingulariter dicitur. Has igitur notas non conſyderant rudes populi nec diſcernunt, præſertim cum non ſolùm non docentur hæc à Catholicis, ſed habent ſeductores, qui tegũt has ueritates ne illi uideant, & odia potius excitant in ſacerdotes Dei, obijcientes ſemper eorum abuſus. Quamobrem nihil mirũ quòd faſcinentur, et ignorent, & errent, etiam in hoc quod accipi deberet tanquàm principium fidei, uidelicet eſſe in Petro petram, ideſt in Papa CHRISTVM, à quo qui recedit, à petra recedere, & in harena edificare inueniatur, ut ſic inuentus ibi, ac ſuomet obuolutus
Num.16. *ſcelere, iuſto Dei iudicio cum Dathan & Abiron abſorbeatur ab hiatu terræ, & ad inferna uiuus traducatur exquiſitis cruciãdus ſupplicijs in ſempiternum. Qui habet aures audiendi, audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs.*

Quomodo ex uno prædeclarato lapſu, incidatur in tenebras incredibiles, ut excuſentur damnatiſſima uitia, ut aſſeratur malum bonum, & bonum malum.

AB hoc igitur uno tantum ab eis articulo pernegato, locum ſibi fecerunt ut poſſent quæcunque uellent defendere, ut nihil eorum quæ in eos attulimus
Excuſatio ſchiſmatis *quicquàm ualeat. Primò enim accuſaui Lutherum de ſchiſmate, Si rationes & notas, quas dedimus, non tenemus, non ſolummodò liberabitur ipſe à crimine, ue=*

rum etiam hoc ipſum crimen nullibi gentium appare= bit. Si enim nullum, loco CHRISTI, *caput in eccleſia ponimus, ſed ſolum ipſum (ut aiunt hæretici)* CHRI= STVM, *qui ab his oculis noſtris receßit, ſuſceptus in cœlum, profectò quilibet poterit dicere continere ſe ſub* CHRISTO, *qui inuiſibiliter uerſatur nobiſcum, nec erit uia ulla nobis oſtendendi ſeparationem, qua= uis contumacia ac rebellione contra hominem facta, cũ de nullo mortalium uerum ſit, ut iſti uolunt, quòd ſit caput eccleſiæ: Schiſmatis autem ſcelus non ſit aliud, quàm à capite ſeparatio. Quocirca hoc in primis do= cent hæretici, hunc articulum, uidelicet, Papam eſſe ca put* Eccleſiæ, *à* CHRISTO *conſtitutum Vicarium ſui loco, tanquàm blaſphemiam repudiandum, quo= niam caput eccleſiæ* CHRISTVM *ſcripturæ & Paulus prædicant, non Papam. Et apud idiotam & ignarum uulgus plauſibile hoc uidetur, quaſi caußam* CHRISTI *ſuſcipiant aduerſus Papam, & nos ar= guimur rei maieſtatis, qui aſſerimus Papam eſſe ca= put, uel abijcientes* CHRISTVM *ne ſit caput, uel fa= cientes duo capita in eccleſia, & ita monſtrum quod= dam. Sic falluntur miſeræ plebes atque eluduntur à ſo phiſtis, neſcientes ſcripturas, neque uirtutem & pro= uidentiam Dei, nec etiam quod nos dicimus appreben dẽtes. Nos enim cũ dicimus Papam eſſe eccleſiæ caput, non propterà negamus, imò tunc uehementer aſſeri= mus,* CHRISTVM *ipſũ eſſe uerè et principale caput: quoniam cum dicimus Papam eſſe caput, intelligi= mus & declaramus ipſum eſſe uicarium caput loco*

CHRISTI, ac propterea non ponimus duo capita diuerſa ac ſeparata, ſed unum caput dumtaxat uerum & principale, ipſum CHRISTVM, quia uice CHRISTI poſitum Papam intelligimus. Quēadmodū enim Rex, qui proregem conſtituit in regno ſuo non deſinit eſſe Rex & caput regni, propterea quòd ſui loco ſtatuerit aliquem regis munia exercentem, & ita caput regni, uicarium hominem, Sic de CHRISTO & eius Vicario dicimus. Nam & canones rectè aiunt, epiſcopi & eius uicarij unum eſſe tribunal, non duo. Hæc plebeius ignorat, quia nec ſic inſtructus eſt, & iam eſt aliter ab hæreticis per ſophiſticos huiuſmodi cauillos perſuaſus. Non enim nouit homo idiota hierachicum Dei ordinem in eccleſia ſua. Quin etiā ſi quæ diximus reciperet, adhuc uideretur habere aliquid quod reſponderet. Non enim uideret quòd homo ſegregans ſe à Papa, conſequenter ſegregaret ſe à CHRISTO: quia hanc eccleſiæ compactionem, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſicut ſubtiliter docet Apoſtolus, non cognoſcunt
Ephe.4 omnes. Nō enim audiūt Dominum dicentē. Qui uos au
Luc.10 dit, me audit, & qui uos ſpernit, me ſpernit, & ita
Ibid.17 qui ſe à uobis ſegregat, à me ſe unà ſegregat: quia re
Matth.16 gnum Dei intra uos eſt. &. Quodcunq; ligaueritis in terra, erit ligatum & in cœlo, quoniam ſententia ueſtra, me illam probante & confirmante, rata erit. At hoc maximè ad B. Petrū attinet, quia illi prius ac ſpecialiter dictum eſt, ut per illum ad alios deriuaret. Et quod in Petro fuit, etiam in quolibet ſucceſ=

ſore futurum neceſſaria prouidentiæ ratio, non proteruis aut mente captis, facilè perſuadet. Hoc autem quod eſt, & debet eſſe inter fidei noſtræ fundamenta firmiſſimum, cum omnes S. Patres & maiores, & glorioſiſſimi eccleſiæ S. Doctores, uno concordiſſimo conſenſu in id conuenerint, & una uoce id ipſum probauerint & prædicauerint, mirè per hos hæreſiarchas deturbatum eſt, quibus & nonnulli abuſus noſtri, hoc eſt, Antiſtitum, qui ſunt capita eccleſiarum, apud imperitam multitudinem fauerunt, unde non eſt ualde mirum quòd rudes plebes decipiantur. Non enim capiunt huius diuinæ prouidentiæ rationem, uidelicet, quòd Dominus Deus uoluit unum loco ſui Hierarchã eſſe in ſua eccleſia, & euidenter huius prouidentiæ neceſſitatem ad continendam unitatem eccleſiæ in unitate fidei per uniformem doctrinam & obſeruantiam mandatorum & ſacramentorum Dei. Alioqui ſi non eſſet unus uiſibilis ac ſenſibilis eccleſiæ moderator in multis, quæ neceſſariò ſenſibiliter prouidenda et exercenda ſunt in eccleſia, bone Deus, quæ conturbatio, quæ cõfuſio, quæ diſiectio, quæ ſciſſio? niſi uerò aſſiduè Deus prouideret miraculo, ſine quo continua illa diuiſio citò finem dediſſet eccleſiæ: quia ignoraſſent ueræ oues & infirmæ, cui deberent hærere, & ad quos paſtorum caulas recipere ſe deberent, dicente uno quoq; ſicut & dixerunt ſeductores, & nunc etiam dicunt: Ecce hic eſt CHRISTVS. Dominus autem id probibens dixit. Si dixerint uobis: Ecce illic eſt CHRISTVS, nolite ire: quia regnum Dei intra uos eſt. Ego Luc. 17

enim in uobis reliqui ſermonem meum,& poteſtatē, & ſpiritum ueritatis. Ad *Apoſtolos ac diſcipulos ſuos hæc dicebat* Dominus,*non ut in eis finiretur uirtus ſermonis,ſed ut etiā in his,qui in eorū perſonis certa ſucceßione intelligebantur,perſeueraret, quibus & dixit:* Ego *uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſæculi.* Ecce *ergo unde ueniunt,& ſemper ſeceßiones & ſchiſmata, & hæreſes ortæ ſunt in eccleſia.* (Nota *lector prudens)quod non ego,ſed* B. Cypri. *planè ait & conteſtatur,quemadmodum ſuperiore libro ipſius luculentißimis uerbis induximus,uidelicet, quia unus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex uice* CHRISTI *non cogitatur.*

Matth.28.

Excuſatio præſumpti Magiſterij.

SEcundo *accuſaui* Lutherum *& alios, de præſumpto latrocinio magiſterij,et prædicatiõis,ſiue* Apo*ſtolatus.* Hoc *autem ſi licet unam eccleſiam catholicam & ſanctam,eo modo quo nos declarauimus, non recipere,ſimiliter excuſabunt.* Dicent *apud ſe,et ſuos magiſtratus eſſe eccleſiam, & ita autoritatem ac poteſtatē mittendi,illorum eſſe.* Et *quàmuis hic mos recēter ſub eorum doctrina repertus ac receptus fuerit, qui nunquàm in eccleſia* CHRISTI *fuit,ſed hæreticorum eſt proprius,plebs tamē imperita non cogitat.* Nā *tā ingēs atq; indignū facinus quibuſdā fucis eorū* Magiſtri *operiunt,quibus uulgi oculos decipiāt.* Aiūt *enim quòd* B. Paulus,*neq; ab homine,neq; per hominē miſſus fuit.* Similiter Ioā. Baptiſta. Quòd *ſi addimus ipſos prædicare aduerſus iuſſa* Pont.*continuè obijciūt*

Petri exemplum,& aliorum Apoſtolorum,qui etiam aduerſus Pontificũ præcepta prædicarunt,& dicebãt: Obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Plebes Act.5.
autem inerudıtæ,ut quæ doctoribus ſuis afficiũtur,qui ea quæ placent illis obtrudunt,his exemplis perſuaſæ, quieſcunt,neq; attendũt Paulum qui nõ ab homine,neq; per hominem miſſus fuit, primò ſuam mißionem & Apoſtolatum probaſſe per ſigna & prodigia, & uir Act.19.
tutes non quaslıbet,ut ait ſcriptura,ſed inſignes, nec minores quàm quæ à quolibet Apoſtolorum, ut ipſe= met audet conteſtari. Deinde non attendunt q; ipſe 2.Cor.12.
Paulus ne in uacuum curreret aut cucurriſſet,contulit euangelium ſuum cum Petro, et primarijs Apoſtolis, Ad Gal.2.
& habuit teſtimonium ab eis ſanæ doctrinæ, unde & dederunt ſibi inuicem dexteras ſocietatis. Mitto q; ſe gregatus fuit à Spiritu ſancto,cum Barnaba,per im= Act.23.
poſitionem manuum diſcipulorum CHRISTI. At iſti miſeri & impudentes,cur non contulerunt euangeliũ ſuum? imò cur longè aliud prædicant quàm probet ec cleſia Dei,à qua etiã ſe ſegregarũt? Præterea quibus prodigijs aut ſignis,ac uirtutibus oſtẽdũt ſuã mißionẽ de cœlo,ſicut Paulus,et omnes Apoſtoli? niſi forte hoc dederunt nobis iſti pro ſigno,quòd cum profiterentur ſe uiros eunuchos,oſtenderunt ſe tandẽ (quod cum do= lore cogor exprimere) maritos & fœminæ potentes. Ioannes autem Bapt. nonne mißionem ſuam à ſcriptu= ris ſanctis probauit, & à uita angelica quæ tota mira culum fuit,cuius natalis plenus myſterijs gaudium at= tulit uniuerſo mundo? Sed ò me miſerum qui cogor cõ

ferre cœlum cum luto,gemmas cum fece, lucem cum tenebris, CHRISTVM *deniq; cum* Belial.

Quòd uerò Petri *exemplo, qui prædicans contra*
Act. 3 Pont.*interdictum, dicit:*Oportet obedire magis Deo *quàm hominibus,minime iuuentur,clarè patet conſiderantibus, q, illi tunc reuera* Pontifices *non erant, iam extincto ſacerdotio illo, & erecto nouo.* Petrus *enim ipſe uerus erat ſacerdos &* Pontifex *ſummus, unde non ab re dixit:*Oportet obedire magis Deo *quàm hominibus,notans eos hominum appellatione, abſq; ullo honoris titulo ac dignitatis, cum alioquin* Deorum *nomen ſibi à ſacris literis uendicarent.* Mitto quod B. Petrus *non prius mandatis Pontificum reſtitit, quam indicaſſet eis euidenti & præſentaneo miraculo ſuam certiſsimam miſsionem.* Vnde *cum ab eis in medio ſtatueretur,& interogaretur in quo nomine claudum hominem rectum feciſſet, reſpondit.* Notum *ſit omnibus uobis & omni plebi* Iſrael, *quòd in nomine* Domini *noſtri* IESV CHRISTI Nazareni, *quem uos cruci fixiſtis,quē* Deus *ſuſcitauit à mortuis,in hoc iſte aſtat corám uóbis ſanus.* Et *pauló poſt ſcriptura inquit:* V*identes autem* Petri *conſtantiam &* Ioannis,*comperto quòd homines eſſent ſine literis,& idiotæ,admirabantur,& cognoſcebant eos,quoniam cum* IESV *fuerāt, hominem quoq; uidentes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat,nihil poterant contradicere.* Itaq; *tantū abeſt factum iſtorum ab ijs exemplis, quantum occidens aboriente.* Et *cū hæc adeò perſpicua ſint in ſcripturis & exemplis* Patrum,*cum nulla doceat hiſtoria quen-*

quàm catholicorum unquàm aduerſus interdictũ Pontificis prædicaſſe, niſi hæreticos tantum aut ſciſmaticos, rudes tamen plebes & literarum ignaræ neſciunt hæc. Quid mirum? Confiteor & ego ingenuè meum errorem, cum eſſem aliquando quaſi unus de plebe, ignorans hunc modum diuinæ prouidẽtiæ, mea ſimplicitate deceptus excuſabam quendam ex noſtris, qui cõtra ſummi Pontificis interdictum auſus fuit prædicare Florentiæ. Fallebar enim hoc ipſo quòd diceret ſe prophetam miſſum à Deo. Et huius rei argumentum afferebat fructum prædicationis ſuæ. Contra id uerò q, nullum ſignum faceret, excipiebat exemplo Ioannis Bapt. de quo euangelium ait, quòd ſignum fecit nullum. & non uidebam tunc miſer ego, q, nemo eſt legitimus arbiter & iudex ſuorum fructuum. Nec illud ſanè perſpiciebam, quòd peßimus erat fructus ille, non parere, uidelicet, ſuperioris & principis populi chriſtiani mandato, & diſcußionem eius interdicti ſibi tribuere, & huiuſmodi exemplum ac doctrinam præbere populis, & ſic eos ad ſeceßionem inſtruere, quaſi non ſint ſuapte ſponte ſatis ad hoc diſpoſiti. Hos ergo fructus non agnoſcebam, qui tamen aliquid eſſe uidebar tunc, cum nihil eſſem. Quid ergo mirum ſi & rudißimæ plebes decipiantur? præſertim cum & in hæc tempora inciderimus peßima, quando uix unus paſtor ſolicitè uigilet ſuper gregem ſuum, & ſciat ſeparare ſanam à peſtilente doctrinam, & oſtendere ueritatem, & increpare durè, ac corripere lupos, aut etiã uulpes iſtas paruulas, quarum nunc creuit numerus ſu

Notat Hierony. Sauonarolam.

Ioan. 10

pra modum, per quas uinea domini deuaſtatur. Verũ hac de re ſermo erit loco ſuo.

Excuſatio hæreticæ perfidiæ.

TErtio accuſaui Lutherum non de hæreſi tantum, ſed de eius mente, quam oſtendit manifeſtè hac hæreſis labe ſummè atq; incredibiliter pollutam. Quod ſimiliter, ſi ueras notas permittimus nobis peruerti, & quas illi ponunt inſipienter admittimus, etiã facilè excuſabunt. Ponunt enim primum ſcripturarũ autoritatem omnibus eſſe præponẽdam, Deinde quæ ipſi dicunt, probari ſcripturis aſſerunt. Itaq; habere pro ſe teſtimonium & iudicium diuinũ, & ideò humanũ ſe nequaquã morari, ſed iure uſurpare poſſe illud Apoſtoli. Si Angelus de cœlo aliter euangelizauerit, Anathema ſit. Plebes igitur cum duo hæc ſemel imbiberint, contemnunt uniuerſa quæ ex aduerſo proferuntur, ſiue ſanctorum doctorum teſtimonia, ſiue conſuetudinis, quamuis antiquæ, obſeruationes, ſiue decreta conciliorum, & ſanctorum Patrum ſanctiſſimas ſanctiones. Neque conſiderent hoc fuiſſe ſemper unũ, & illud miſerum hæreticorum effugium, uidelicet, ad ſcripturas prouocare, ut queant cætera hoc prætextu contemnere. Quaſi uerò eccleſiæ autoritas, quæ probat ſcripturas, minor ſit, quàm ipſarum ſcripturarũ autoritas, cũ una ſit, uidelicet, Spiritus ſancti. Ipſe.n. diuinus ſpiritus ſicut inſpirauit Prophetas ad ſcribẽdum, ita etiam eccleſiam in ijs quæ ſunt ſui muneris, quale eſt probare & interpretari ſcripturas ipſas, ita ut errare in huiuſmodi, ipſo Dei ſpiritu aſſiſtẽte, propter

Ad Gal. 1.

Vetus hæreticorum refugium.

pter eccleſiam ſuam non poßit. Sed hæc paulò ſubtiliora uulgus non penetrat, nec animaduertit non eſſe prudentis ſed inconſiderati, confeſtim aſſentiri cuiq; dicenti habere ſe ſcripturas ſuis aſſertis aſtipulantes, præſertim cum ab aduerſa parte dicatur idem, niſi huius rei alicunde certa, plena, & indubitata fides eliciatur. Ecce nos *dicimus econuerſò ſcripturas probare contra illos, idque iuxta omnium* Doctorum *& ueterum* S. Patrum *interpretationem, & (quod eſt maximum) iuxta antiquam & nunquàm antiquatam conſuetudinem, quæ ſicut legum, ita & ſcripturarum optima interpres ſemper eſt habita.* Huic autem *obiecto reſiſtunt eadem exceptione, ſemper illud ſibi ſumẽtes, quòd ipſa ſcriptura debet iudicare inter nos & illos, & non* Papa, *non* Concilium, *non* Doctores, *non* Vniuerſitates, *non conſuetudo eccleſiarum.* Nam *omnis autoritas cedere debet ſcripturis. Scio & uideo quod hæc eſt omnium miſerrima et carißima defenſio, cum in omni dubio dari ſibi principium poſtulent, ideſt, illud ſibi concedi, quod ab initio ponunt: exempli gratia.* Ipſi *dicũt uota monaſtica reprobari à ſcripturis.* Nos *contrà probari per illas.* Inducunt *illi ſcripturarum teſtimonia, ſiue argumenta de ſcripturis collecta.* Nos *item cõtrà probantes, ſcripturis ipſis innitimur.* Dicunt *nos ſenſum ſcripturæ germanum peruertere.* Nos *quoque idem in illos.* Quis *nunc iudicet, quis uerus ſit ſenſus ſcripturarum?* Redeunt *ad principium & dicunt:* Scripturæ *ipſæ hoc indicant.* Quo*nam pacto?* Inquiunt, *quia ſcripturæ per ſe claræ*

ſunt & manifeſtæ. Quod ſi excipimus dicentes, Secus eſſe res ipſa indicat, & multa doctorum teſtimonia, et mille inſtantiæ de ſcripturis, uidelicet quòd ſcripturæ ſint difficilimæ, ac ſæpenumerò aliud intendãt, quàm prima facie porrigant auribus ineruditis: Vnde & B. Pet. teſtificatur particulariter de B. Pauli apoſtolis, quòd in eis ſunt quædã difficilia intellectu, quæ
2. Petr. 3. *indocti & inſtabiles deprauant ad ſuam ipſorum perditionem. Quod dictum etiam eos ipſos manifeſtè deſignare uidetur. Ipſi uerò ſubdoli, & aure ſurda prætereuntes, in his pertinaciter ſe ſiſtunt, uidelicet, ſcripturas illud dicere quod ipſi aiunt, & eſſe claras & apertas, ſaltem in his, de quibus eſt quæſtio per illos exorta. Quod totũ illuc redit tãdem, ac ſi ſimpliciter dicerent. Quod aſſerimus uerum eſt, & in perſpicuo poſitum, ac propterеà nos, qui rem aliter ſe habere dicimus, aut captos eſſe ſumma cœcitate, qui in luce meridiana cæcutiamus, aut conſultò et malignè deſipere, qui uidentes quod apertè uerum eſt, tamen imus inficias. Sed cum ſtent pro nobis ſanctiſsimi patres, & clariſsimi doctores, & ſacroſancta ipſa concilia, & uetuſtiſsima cõſuetudo, oportet ut quod de nobis dicunt, & de his omnibus fateantur. Et interim Spiritus ſanctus dormiuerit, donec uenerunt iſti nouæ faces orbis ad illuminandum tenebras. O uerè faces orbis, ſed ad cremandum & exurendum, non ad illucendum. O impudentiſsimi mortalium, O ſcorta uetera, ſed inſulſa nimis, his qui habeant parum cordis, ut planè uideant autoritatem ſanctorum conciliorum, & conſuetu-*

dines eccleſiæ ab ipſis ſcripturis probari perſpicuè, et irrefragabiliter. Et tamen *uidemus homines adeò dementatos, ut deceptionẽ adeò manifeſtam nõ uideant. Satis eſt autem iſtis magiſtris per hæc adeò ingentia abſurda non expugnari ante miſeras ac iam faſcinatas plebes: quaſi non ſit uerè expugnari, à conſcientia peßima redargui, & ſola perfidia & arrogantia defendi, principia fidei impudentißimè (quia iam prolatam poſitionem tueri uolunt) pernegando.*

Quomodo a ſcripturis prima facie Lutherani uidentur ſubſtineri errores.

V*Erùm unum eſt quod maxime me turbat, quoniam hoc uno iuuãtur hæretici, quòd prima facie in nonnullis ſcripturæ ſanctæ pro illis militare uidentur, quanquàm gloriam damus* Deo, *qui iuſtè permittit bona malis in malũ ueteri. Tales enim ſunt ſcripturæ qualis* CHRISTVS *quem continent.* CHRISTVS *enim erat quaſi unus aliquis ex nobis, mortalis carne, uir dolorum & ſentiens infirmitatem.* Hoc *decepit carnalium oculos, qui non ualuerunt eum agnoſcere* Dominum *gloriæ, unde qui lapis erat reſurrectionis & uitæ, factus eſt multis petra ſcandali & ruinæ: haud aliter ſunt & ſcripturæ. Quædam enim ſcripturæ ſi oculis ſpiritus non conſpiciantur, ſed carnis, ipſi carni uehementer applaudunt, uerbi gratia:* Dominus *uituperat traditiones hominum, & intelligebat, ut ipſe manifeſtè declarat exemplis, de traditionibus quæ carni fauebant, & contra ſpiritum erant, et contra mandata* Dei, *aut certam ſuperſtitionem habe* Matth. 15.

bant. At iſti, quia Dominus traditiones hominum uocat, abutuntur hac ſcriptura ad euertendas omnes eccleſiæ ſanctæ, & ſanctorum patrum utiles ac neceſſarias traditiones, quaſi hominum: quæ tamen iuxta modum ſcripturarum, non dicuntur hominum, ſed Spiritus ſancti.

Ad hæc; quia in lege ſcriptum erat, Nihil eſſe addendum, aut minuendum, abutuntur, hoc dicto contra omnia placita & ſcita. S. Pontificum & eccleſiarum, tanquàm illud uerè ſit addere, quod eſt potius declarare, aut determinare ſecundum legem Dei, quæ ibi uel ſunt obſcura, uel indeterminata. Item B. Paulus prædicat libertatem chriſtianam. Iſti ſimiliter abuſi ſcriptura, libertatem carnis pro libertate ſpiritus capiunt: licet Apoſtolus huic intelligentiæ obuiaſſet, aiens: Modo ne libertatem in occaſionem detis carni. Idem quo-
Gal. 5. que Apoſtolus, de pſeudoprophetis pronuntiat, quòd
1. Thi. 4. eſſent uenturi, & reprobaturi nuptias, & cibos, quos Deus creauit ad ueſcendum. Hoc iſti uaticinio ſimiliter abuſi ſunt contra continentiam, & caſtitatem, & abſtinentiæ uirtutem, quæ eſt per delectum ciborum. Non enim dicimus cibos malos, ut Manichæi & Tatiani: neque damnamus nuptias ſimiliter, ut illi, ſed abſtinemus ab his, quia luctum profitemur chriſtianum, et
1. Cor. 7. ut expeditius ſeruiamus Domino non diuiſi, neque abſtracti hac illac: quia nouimus unum nobis eſſe neceſſarium, & Martham diſtractam ſollicitari erga plurima. Item ijs quæ ipſe Apoſtolus contra opera mortua legis docet, abutuntur ut deſtruant opera bona, quæ

ex fide uiua procedunt. Et *quæ paſsim in commẽdatio-nem fidei inculcat gẽtibus, oportunè ille quidem, quã do ipſam plantare fidem oportebat, ijs abutuntur prædicantes eadem iam exiſtentibus in fide, quaſi iam illis ſimili modo conueniant; cum prædicanda ſint illis, in quibus iam ſupponitur fides, charitas, & opera charitatis, ſine qua fides otioſa & mortua eſſet, ſicut fecerunt* Apoſtoli, *& ipſe* B. Paulus, *uelint nolint ipſi. Similiter illis ſcripturis quæ dicũt, quòd* Dominus *omnium noſtrum iniquitatũ tulit, & peccata noſtra portauit ac diluit, abutuntur ut opera ſatisfactionis penitus auferant, non diſtinguentes præuaricationes quæ ſequuntur baptiſmũ et ingreſſum in* CHRISTVM, *ab ijs quæ præcedunt.* Legũt *enim de ſacrificio illo unico cruento* CHRISTI, *quod conſumauit in perpetuũ* Hebr. 9. *ſanctificatos, et hoc dicto abutũtur, minime intellecto, ut horribiliter negent noui teſtamenti iuge ſacrificiũ, & ſacerdotium in eccleſia* CHRISTI, *nihil curantes quæ* Prophetæ, *præſertim* Iſaias *&* Hieremias, *de hoc ſacrificio non tam prophetice prædixiſſe, quàm hiſtoricè enarraſſe uidentur.* Dixit *item ſcriptura,* Solum Deum *adorandum, nec erigenda ſimulacra, aut imagines ut colantur.* His *iſti ſimiliter abutuntur, auferentes propterea omnem uenerationem* Sanctorum, *& adorationem ad imagines, ut auferant & cultum* Diuorum *(quo mirificè laudatur* Deus, *ut glorioſus ac mirabilis in ſanctis ſuis) & omnem memoriam in* CHRISTVM, *&* B. Virginem, *& in ſanctos alios extinguant, nunquàm diſtinguentes, neq; tẽpora, neq; ſta-*

tus, neque fines: quoniam aliter docentur à ſuis, nec ueras doctrinas audiunt, nec ferunt. Plebes uerò *craſſæ ſunt, nec ex ſe ipſis ualent iſta diſtinguere, quia caro ſunt.* Sic *hoc prætextu ac zelo ſcripturarum, ut ſaluæ ſint, earum uirtutē deſtruunt, quoniā interpretandi legitimam poteſtatem, ſicut probandi eas, adimunt ab ipſa eccleſia.*

Vnde probetur excuſatio apoſtaſiæ & ſacrilegiorum, apud carnalem plebem.

Q*Varto igitur & quinto, accuſaui* Lutherum *ut apoſtatā, et ut ſacrilegum, qui uota ſancta monaſtica perfidè uiolauit, &* CHRISTI *ſponſam horrēda copula uitiauit, et alijs exemplū dedit, ut hæc flagitia impudenter admitterent.* Hæc *autem (ò miſeram temporum conditionem) à multis iam ut ſcelera non agnoſcuntur.* Id *autem quare? niſi quia in illud idē principium impingunt, quòd unam ſanctam catholicā eccleſiam non credunt: & conſequenter nec unum in eo* Paſtorem, *ad quē pertinet probare huiuſmodi normas & ordines, & inſtituta uiuendi?* Hoc *enim ſpreto principio, nihil eſt religionis quod non ſubitò corruat.* Non *inficior, imò hoc ego proprio libello probo, & perſuadere mihi uideor non proteruis, quòd illa uota euangelica ſunt & à* CHRISTO *inſtituta: quāquàm quidam ex noſtris, qui eſſe aliquid uiſi ſunt, aliud aliquando ſcripſerint, quod tamen ueræ* CHRISTI *oues non audient.* Si *enim uota hæc, quæ ad* Dei *cultum ſanctiorem fiunt, ex euangelio non ſunt, nec ex* Deo, *ſed ex hominibus (ut hæretici blatterant) proculdubiò ſu=*

perſtitioſa ſunt. Rectè dixit beatiſsimus pater Augu. Quod humanum inuentum eſt, ſi cultui Dei applicetur, ſuperſtitio eſt. Sed uerè ab euangelio hæc uota ſumuntur, ut D. Hieronymus, Ambro. Aug. Gregorius Baſil. Chry. & Patres omnes, qui ſunt innumerabiles, & qui etiam in eo uitæ genere ualdè profecerunt, unanimiter atteſtantur: Nec eſt hic locus hæc oſtendendi.

Fateor tamen (quamquàm inuitus & cum dolore) quòd multi ex noſtris, qui hanc uitæ rationem profeſſi ſunt, magnam porrexerunt iſtis canibus & porcis oblatrandi ac mordendi, & conculcandi quæ ſunt ſancta & ſpecioſa, occaſionem, dum profitentes paupertatem, continentiam, & obedientiam, in auaritiam & quæſtum, & laſciuiam, & ambitionem, ac tyrannidem detorſerunt. Vnde plebs, quæ ſemper eſt murmuratrix, & obtuſi ingenij, quod eſt propriè hominum uitium, iniuria atque immeritò religioni aſcribunt & blaſphemant, non cogitantes quũ religioſi mali ſunt, non ideò malos eſſe, quia ſeruent quæ illis religio mãdat (Sic enim religio ipſa damnanda eſſet) ſed quia ipſi illa quæ ſunt religionis non ſeruant, ut ſit ipſa religio ſancta, & bona, & ſpiritualis: homo autem ipſe mendax. Illa quoque perſuaſio uulgi, quam etiam hi apoſtatæ peſſimi adiuuerunt dogmate peſſimo, uidelicet, quòd impoſſibilis in religione ſit homini caſtitas, et ita promittamus Deo impoſſibilia, non ſolum falſa eſt, ſed etiam blaſphema, aduerſus conſilium & uirtutem Dei, derogans eius uerbo ſanctiſſimo & Spiritui ſancto, qui has regulas ſanctiſſimis uiris inſpirauit, et uo

Matth.19. *ta ſuaſit. Scimus* Dominum *cum nuptiarum incommo-da indicaſſet, dixiſſe non omnes capere uerbum illud ſed quibus datum eſt.* Et *cum poſteà laudat* Eunuchos,
Ibid. *adieciſſe:* Qui *ergo poteſt capere capiat.* At *non dixit impoßibile eſſe illud uerbum, ſed non omnes capepere: quod manifeſtum eſt, & nemo negat.* Non *enim omnes fiunt religioſi, imò illis uerbis cum ait:* Qui *poteſt capere capiat, potius admittit eſſe qui poßint, & ideò conſulit, ſicut* B. Paulus, *ut qui poſſunt capiant,*
1. Cor.7. *nec amittant hoc tãtum donũ,* Et*ſi.n. ex nobis quaſi ex nobis hoc non poſſumus, ꝑ* Dei *tñ uirtutẽ cuncta poſſumus.* Deus *autem optimus cum ad hoc uitæ genus multos inuitet, ac per* Spiritum *ſanctum moneat, conſiliũ eis offerens bonum (ut credibile eſt eum facere cũctis, qui non animo malo, aut temerè religiones probatas ingrediuntur, quas probauit* CHRISTI Vicarius*) quomodo poterit negare auxilium ſuum, ut quod per ſe homo non poteſt, per ipſum poßit?* Hoc *certè niſi homo perfidus negare non poteſt: ſed craſſæ ſunt plebes, nec plebes tantum, uerùm & multi qui uidentur literati & ſpirituales, quibus tamẽ non ſatis illucet euãgelij fulgor, nec diuinæ prouidentiæ recta fides.*

Nec *nos ea latent, quæ contra uotum obedientiæ illi*
1. Cor.7. *effutiunt, etiam ſcripturæ teſtimonio, quæ ait:* Nolite *effici ſerui hominum. Sed non intelligunt, aut potius nolũt intelligere, nec intelligi, quid ſit nos effici ſeruos hominum, cũ locus ille* Apoſtoli, *iuxta uerum ſenſum, nobis egregiè faueat.* Hortabatur *enim* B. Paulus *omnes qui poſſent, uitare nuptias, & cælibem uitam age*

re: quoniam per eam longius ablegatur homo à ſeruitijs hominum, & diuinis aptior fit obſequijs. Quod maximè contingit monachis, qui cum uouent obedientiam illam, Deo *uouent in primis,* Abbati *autem uel priori illam excipienti, loco* CHRISTI*: unde & particulariter ſerui* Dei *uocantur.* Hæc *uerò nõ capiunt hebetes populi, qui præſertim iam ſunt corrupti, peruerſi, ac libenter occaſiones accipiunt ad blaſphemandum.*

Excuſatio linguæ maledicæ, & ſcurrilis atque blaſphemæ.

OBieci & in Lutherum *quæ ille paßim euomuit maledicta, deriſiones, baſphemias, cachinnos, mordacitates, & indecoras ſcurrilitates, quæ minimè conuenire non ſolùm aut* Theologo *aut* Chriſtiano, *ſed nec homini quidem, iam oſtendimus.* Verùm *nihil mirum quòd his minime moueantur turbæ aduerſus illum, cum per hæc potius attrahantur.* Videntur *enim illis hæc eſſe magni animi, & amantis ueritatẽ, & propter zelum ueritatis excidere, ut qui faciẽ hominis non reſpiciat.* Mitto *quòd natura (ut ait quidam grauißimus autor) ita ſumus affecti omnes, ut maiore cum uoluptate audiamus de proximo dici mala, quàm bona, & illa etiam facilius credamus.* Nunc accidit ut *improbis perſuaſionibus* Lutherus *nomen* Papæ, *nomen ſacerdotum, nomen* Scolaſticorũ, *nomen* Vniuerſitatum, *apud miſeras plebes iam odioſum reddiderit, ac putere fecerit:* Ideò *quæ uerè maledicta ſunt & blaſphemiæ, non reputantur niſi iacula iuſtitiæ & ze*

Demoſth. in ora. de cor.

li. Nam hoc abominando dogmate perſuaſo, quòd Papa ſit Antichriſtus: & ſedes eius ſit Antichriſti ſedes, quodnam eſt adeò atrox dictum, & ſcomma mordax, quod rectè conuenire in illum non meritò arbitrētur? Et hæc ſimiliter dixerim de ſacerdotio. Si enim ſemel receperit miſera plebs ſacerdotium eſſe idololatriā, uerè quæcunque illi in ſacerdotes uehementius iactauerint, non poſſunt reprehendi. Plebes autem ipſorum iam eſſe perſuaſas uidemus, & hoc non eſſe mirandum iam diximus. Hic enim ſcripturarum prætextus & perſuaſio, quòd ſcripturæ illis faueant, ſicut etiam prima facie craßis atque indoctis fauere uidētur, hoc efficit, ſicut et in alijs contigit hæreticorū peruerſis dogmatis. Nullum enim fuit cuiuſuis hæreſiarchæ tam grande paradoxum, quod non ſit uiſum primo intuitu habere pro ſe aliquod ſcripturæ teſtimonium. Sed ignorant Domini uerbum, qui dicit: Scrutamini ſcripturas. Non dicit, legite, audite, ſed ſcrutamini: ſatis oſtendens quòd oportet intus penetrare, et non in faciem ſolummodò aſpicere. Porrò caninæ huius hominis mordacitates uulgo uidētur ſales: & quæ ſcurriliter profert, urbanitates cenſentur. Imò in hoc maximè placebat Lutherus plebi, q̧ ſcommatis luderet & irrideret, et ſcurrilia ꝓferret in aduerſarios. Recipiunt enim hæc tanquàm ſobrias argumentorum reſolutiones, & tum uictorem eum putant, qu ē ſuperare alios ſcommatis, et ſcurrilitate proſpiciunt. Nō enim uulgus eſt elegans arbiter eius quod deceat. Vnde poeta quidam, cum iudicio dicit.

Ioan. 5.

At noſtri proaui plautinos & numeros, & Horatius de ar. poe.
Laudauere ſales, nimium patienter utrunq;.

Hoc igitur, quòd adeò ſermone fuerit iniurius, & ſcurra, potius illi ſtultorum populorum beneuolentiam, quàm inuidiam ullam, uel odium comparauit.

Hic adde quod poſt Lutheri furores, uenerũt Melancthon, & Bucerus, & alij plures, qui alia uia mollius, & quaſi in ſpiritu manſuetudinis ac lenitatis incedentes, hoc idem uipereum uenenum, callidius tamen ac propterea efficacius, propinarunt. Non quòd illi non iiſdem uitijs laborent, & nõ eaſdem blaſphemias proferant, ſed quòd illas tectius, ac minus furioſè. Excuſant autem ipſi Lutherum eorum magiſtrum: ut quod erat errori dandum ac furori, tribuant zelo ueritatis & ſpiritui Dei, ſed aliquantulum effreni in illo. Non enim ualent omninò excuſare: & nibilominus ſi & ad ipſos diligenter attendas, citò ac facilè deprehendes eos in ſuis ſcriptis pulcherrimas uiperas, & fraudulentas uulpes, non iam doloſas ſed ipſos dolos. Hoc ſanè norunt ac planè teſtificantur, qui illa paulò diligentius conſiderant, & qui cum uiris illis controuerſias religionis pertractarunt. Hæc uerò dixi ut adimã admirationis cauſſas, quòd illæ turbæ miſeræ atque imperitæ ſequantur illos. Sic etiam adde ꝙ nonnulla eſt affectio ſanguinis, qua etiam tenentur ne acquieſcant ueritati. Habent. n. magiſtros ſuæ gentis: quamquàm nec nouum eſt, ut qui ſemel ſeſe cuipiam ſcholæ, aut ſectæ iam addixerit, difficilè reuocari queat ab illa. Sed nolo hæc latius extendere, quæ

prudenti ſatis eſt innuiſſe.

Excuſatio inconſtantiæ Lutheri, & aliorum hæreticorum.

Qvòd item ad illam incredibilem atque admirandam in ſua doctrina inconſtantiam (etſi ille unquàm rectè excuſare ualuerit) non tamen deeſt aliqua in promptu qualis qualis excuſatio. Nam & mihi olim, inconſtantiam illam in eum obiectanti, non auſus ille inficiari in hunc modum reſpondit. Tardè *ueniſti* Catharine*: ſignificans quòd iam aliquando à ſe dicta retractauerat, & in meliùs mutarat ſententiam.* Veruntamen *non ſic euadebat: quoniam in eiſdem prorſus etiã poſterioribus eius libris, pugnanti a compereram, & obieceram.* Sed *poſſunt hic aliqui dicere:* Etiam D. Aug. *retractauit multa, & correxit.* Et B. T*homas nonnulla; & ſimiliter alij qui multa ſcripſerunt.* Verùm *ſi numerum, ſi pondus, ſi quòd ſemper in deterius prolapſus eſt, tanquàm homo effutiens per rabiem & fauorem, non tanquàm ex iudicio cenſens, diligenter conſiderauerit æquus cenſor, nullo poterit hunc exemplo defendere.* Sed *iſta (ut ſæpe dixi, & ſæpius mihi dicendum eſt) plebes indoctæ non cernunt, nec libros legunt ubi hæc deteguntur.* Non *enim patiuntur illi ad ſe penetrare* Catholi*corum libros.* Et *multum eſt ab initio imbibiſſe perſuaſiones malas, & iam doctrinis carnalibus carnem hæſiſſe, & conſuetudine plurima atque inueterata ferruminatos iam eſſe.* Simile *eſt de tam manifeſtis mendacijs & calũnijs, quibus ipſe iniquè onerat pios,*

ſiue ueteres Pontifices, ſiue Doctores, & omnes illos qui ſibi aduerſantur. Non enim poſſunt idiotæ iſta cognoſcere & arbitrari, ſed ij ſolùm qui fuerint plurimæ lectionis, & habeant memoriam rerum & ſententiarum, & attentè legunt Lutheri ſcripta, ut ualeant etiam notare ac cenſere. Quòd autem ſophiſticè ſemper loquatur, & cauillosè ac dolosè, hoc à ſapientibus tantum deprehenditur, et exercitatis in rhetoricis & dialecticis. Hi ſunt enim quibus uerè mouet ſtomachum atque indignationem: Turbæ autem et imperiti, quos ipſe potiſsimum decipit, ijs modis potius irretiuntur.

Poſtremò de peſsimis, qui ab hoc homine atque eius peſtilenti doctrina manarunt fructibus in Germaniam, & uniuerſum Chriſtianum orbem, iam pauci cogitant, neque uera damna conſiderant: Imò cōmoda & lucra arbitrantur, quæ uerè ſunt detrimenta. Placet enim (ut dixi) promiſcuo uulgo carnalis illa & animalis libertas, ſoluiſſe iugum, depoſuiſſe onus chriſtianum. Placuit multis illa inuaſio eccleſiarum, illa direptio bonorum, quoniam ex his locupletiores fiebant. Breuiter non eſt nouum, neque mirandum (ut ſcriptura teſtatur) impios tandem delectari atque Prou.2. *exultare in rebus, & ſucceſsibus peſsimis.*

De malitia plebium, & quòd plurimi eorum non decipiuntur, ſed conſultò recipiunt religionem indulgentem carni.

HActenus de ignorantia plebium, & quòd non ſit magnoperè mirandum à tali homine tot ac

tantis dolis deceptas eſſe. Sed multò etiam minus mi= randum, quòd à tali doctrina, quaſi hamo ineſcato, redditæ ſint captiuæ, cum ſermo hæreticorum ſer=
1. Thi. 2. *pat ut cancer, ſicut ait Apoſtolus, ita ut inceſſanter corrodat quantũ carnis offenderit. Porrò nunc pluri= ma caro eſt in mundo, iam ſpiritu propemodum extin cto. Quare ut ab initio aiebam, non ſolùm populorum ignorantia huius tanti mali cauſſa eſt, uerùm etiam multa malitia, quæ ſupra modũ abundauit ſuper ter= ram: quia multis fulgor euangelij non illucet. Non enim dubito magnam & bonam partem eorum, qui hanc hæreſim ſectantur, probè illam noſſe, & eius au torem non ignorare, ſed eam malitia ſectari ob tem porale aliquod commodum, quod eis proponit Diabo bolus. Cœpit enim eſſe dulce principibus expoliare ec cleſias, depredari monaſteria, iuriſditiones alienas in= uadere, quibus hæc doctrina fecit hanc licentiam eſſe ius & fas, ita ut non ſit unus tantũ Dionyſius ille, qui*
Prou. 10. *ſacrilegium uertebat in iocum. Impius enim, ut ait ſcri ptura, quaſi per ludum operatur ſcelus. Hi ſunt, de quibus prophetauit B. Paul. Quòd ſanam doctrinam*
2. Thi. 4. *non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſi bi magiſtros prurientes auribus, & à ueritate quidẽ auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Noui ego nonnullos qui miro ſtudio horum libros re= quirunt, nec ob aliud, niſi ut ſectentur & recipiant quicquid illi doceant, prius eorum dogmata proban= tes, quàm illa ſciant: Tanta eſt docibilitas eorum, quã tum attinet ad ea quæ Diaboli ſunt, nec ſolum quia*

capere libenter libidinoſa,uerũ etiam quia audire probroſa in ſacerdotes et monachos,mirum in modũ delectantur,id q; ſub quodam falſæ iuſtitiæ prætextu,quæ nec ſecum hẽt miſericordiã, nec ſciẽtiã. Quãobrem nolite gloriari, ò perturbatores eccleſiæ, quòd habetis multos qui uos ſectantur:inueniſtis.n. iam aptatos diſcipulos,ipſi nõ aptaſtis. Non.n.uis ulla ueritatis,cum non ſit in uobis,nec oris facundia, nec ars ad concinnandas fallacias & dolos,(etſi hæc uobis per Diaboli ſuppetias admodũ preſtò ſint,& in promptu)tot uobis auditores cõparauerũt,ſed eſcã poſuiſtis in hamo.i. quæ placẽt carni,legi Dei non ſubiectæ, nec.n.poteſt. Rom.8

Hactenus ergo ſatis arbitror his rõnibus adductis me admirationis cauſſas ſuſtuliſſe, q, hæc ſecta adeò inualuerit,cũ tot et tãtæ, quas narrauimus,cauſſæ cõcurrerint ad deceptionẽ. Vnũ tamẽ ſupereſt,quod uehementer quorundã mentes agitat, & conturbat,idque eſt. Qua nã de cauſſa Deus in eccleſia ſua, qui tanta hæc mala poterat ꝓhibere,permiſerit:quã cum deprehẽderimus,ẽt oſtendemus huic malo medelã congruã, ne ulterius permittat Dñs tantã calamitatem, & animarũ iacturã,quas redemit ſanguine ſuo. Nulla.n.maior eſt ira Dei,quã quùm dimittimur,ut tradamur in reprobũ ſenſum,ponẽtes lucẽ tenebras,et tenebras lucẽ,& ita ſeruemur ſuæ diei in iudiciũ repẽtinũ;quod abſit. De qua re ſequẽti lib.quantũ fas fuerit de diuinis ſcrutari cõſilijs,et quantũ dabit nobis ſpiritus, cum timore tamen ac tremore, diſcutiemus, ut hinc etiam, ſalutaria remedia tantæ peſti ſincerè ꝓferamus. Iſa.5.

DE CONSIDERATIONE ET IVDICIO PRAESENTIVM TEMPORVM LIBER QVARTVS.

VT ergo primùm iuſtificetur ſapientia Dei à filijs ſuis, conſiderare oportet, Deum non eſſe cauſſam ſcandalorum & perditionis hominum, non ſolùm quia nõ facit ipſe, ſed fieri potius prohibet, uerùm etiam quia cuncta quæ ab eo poſſunt cum æquitate remedia deſiderari, ne acciderent tanta mala, magna ſapientia iam prouiderat, ut ipſe ſemper ſit bonus, & in omni ſua pollicitatione uerax, nos autem mali ac mendaces. Ipſe autem adeò bonus, ut nec iſta mala permitteret, niſi ex ijs occaſionem caperet, ut inde multa maiora bona colligeret, etſi plerunq; cum magno multorum malo. atq; ideò cuilibet timendum eſt, ne ira hæc illum comprehendat.

Quomodo reſiſtendum eſt Diabolo paranti zizania.

Matth. 13. CAuſſam igitur primam et capitalem tantorum malorum fuiſſe Diabolum, Dominus in iam citata parabola manifeſtè declarat. Interrogantibus enim ſeruis illis ac dicentibus: Domine nonne bonum ſemẽ

ſeminaſti

ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Reſpondit Dominus; Inimicus *homo hoc fecit*. Per *hunc autem inimicum hominem ſignificatum* Diabolum,*ipſamet* Veritas *declarauit*. Si igitur Diabolus *eſt qui hæc ſuperſerit mala ſemina,certè cum ſit ipſe perfectè nequam & malus, utpotè in ſuo peccato, id eſt,in illo odio & antiqua inuidia, qua noſtrum genus ab initio proſequitur,immobiliter obfirmatus,impoſſibile eſt quouis modo eum,quauis in cantatione, abſtrahere aut abducere,ne nobis nocere uelit. Quare ne id quoq; uehementer curet,non eſt ullius humanæ uirtutis efficere.* Ipſe *enim eſt qui ubiq; circuit quaſi leo* 1. Petr.5. *rugiens,quærens quem deuoret. Qui enim non eſt ueritus,nec expauit tentare & aggredi* Dominum, *qua ui deterrebitur ut nobis parcat?* Non *ergo id nobis curandum eſt,ne ille nolit nocere(ſicut quædam barbare gentes,quæ iccircò illi facrificare dicuntur, ut ſibi illum placabilem reddant) ſed hoc potius ſatagēdum, ne id poßit quod uult.* Hoc *autem ne poßit,efficaciter* Dei *eſt,qui non permittit ut quæcunq; uult, & quæcunq; (ſi ei non reſiſteretur) etiam poſſet, ea efficiat:* Quod *ab hiſtoria* B. Iob *manifeſtè nobis probat ſcriptura ſancta.* Permittit *autem illi* Dominus *quantum uidet in lege ſuæ iuſtitiæ,& æquitatis,eſſe illi permittendum.* Nos *autem ad parabolam noſtram redeamus ut ex illa ad rem propoſitam philoſophemur.* Ecce *agrum* Domini,*ſiue terram,hoc eſt,mūdanos homines corrumpere uolens* Diabolus,*non per ſe ſolùm hoc tentat,ſed medijs zizanijs: & iam diximus quòd*

hæc illius zizania, ſunt pſeudoapoſtoli, et pſeudopro phetæ, quales infelici noſtro ſæculo extiterunt Luthe rus, et alij qui ſibi magiſterij cathedrã arrogarunt. Ergo iſti ſimul cum Diabolo cauſſa ſunt, cur uitiatur et corrumpitur terra. Verùm nunquid habet Diabolus hæc zizania ad nutum ſibi diſpoſita? An uerò opus eſt ut illa ſibi ipſe diſponat? Quòd ſi hoc potius, nunquid nõ illi obſiſti poteſt ne ea diſponat: aut ijs diſpoſitis, ne utatur & proficiat per illa? Certè in agro Domini non ſuaptæ ſponte ex ui agri producuntur., nec ſurgunt ex neceßitate zizania, ſed ab ipſo Diabolo diſponuntur ac præparantur ad corruptionem terræ. Non enim fecit Sathan Lutherum & Bucerum, & iſta noxia ſemina eſſe, zizania illis renitentibus: id nanq; minime potuiſſet, niſi ipſi ultrò dediſſent ei manus. Valuiſſent enim, imò & debuiſſent, ſuadenti Diabolo reſiſtere: quoniã et ſi permittit Dominus nos à Sathana tentari, non eò uſq; tamen permittit, ut ſit tentatio ſupra uires noſtras, niſi noſtra magna culpa nosmet ipſos in tentationẽ conijciamus, ſed in ſemetipſo legem tentationis conſtituit Dominus, qui ob hoc impulſus dicitur in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo, ut ſicut ipſe tentari uoluit ad proſternẽdũ hoſtem, ita & nos ab illo tentari ſinit, ut pariter ſuperetur à nobis. Quod ſi non facimus, nos in culpa eſſe deprehendimur, & iuſtificatur ſapientia à filijs ſuis, ut queat dicere. Væ mundo à ſcandalis; Neceſſe eſt enim ut ueniant ſcandala, ueruntamen Væ homini illi, per quem ſcandalum uenit. Hæc enim neceßitas

Matth. 5. Matth. 18.

uĩturorũ ſcandalorũ,nõ ab eo accipitur,q̃ à nobis uita ri nõ potuerint,ſed ſecundũ præſcientiã Dei. Nõ enim præuidet Deus q̃ nõ uitẽtur,quia uitari nõ poßint,ſed cum uitari poßint,præuidet quòd nõ uitãtur. Et ideò prædicit futura nobis,quæ ipſe uidet præſentia in ſua æternitate. Poteras enim olim tu Luthere,ac tu Bucere,& uos alij,qui Diaboli miniſtri eſtis, poteratis inquam (imò debebatis) illi non credere,neq; cedere,& propterea non effici zizania,& noxia ſemina,qualia uos Diabolus reddidit. Quòd ſi non fuiſſetis tales,nec præuidiſſet uos Deus tales,nec prædixiſſet. An nõ meminiſtis Dominũ diſcipulos ſuos admonentẽ,quòd Diabolus erat paratus cribrare eos,ſicut triticum? Quod autem illis dicebat,omnibus dicebat,& ideò admonuit eos,& in illis omnes nos,ut uigilaremus,et oraremus cum timore ac tremore, ne nos tentatio non humana apprehenderet. An nõ etiam legiſtis Domini fratrem admonentem: Subditi eſtote Deo: Reſiſtite autem Diabolo,& fugiet à uobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis? Hoc ſi feciſſetis uos & alij ueſtri ſimiles,profectò nõ habuiſſet Diabolus zizania,quæ ſereret ad corrumpendam terram. Ipſe enim Diabolus eos primùm et maximè adoritur,ut in zizania ſibi conuertat,quos ſi triumphet,cernit aptos ad ſeducendum alios & corrumpendum. Hi ſunt homines ingenio pollẽtes et eruditi,& plerunq; ex eis qui in ſortẽ Domini ſunt uocati. Nam hos præcipuè curat ſeducere:quales uos eratis,ò miſeri,qui Dei donis abutimini in ueſtram primùm,deinde in aliorum perniciem et

Luc.22.

interitum. Propoſuit autem uobis ante oculos ille Malignus, carnis blandimenta, & gloriam mundi (ſicut iam prædiximus) & his eſcis attraxit uos, & eripuit à corde ueſtro omne ſemen fidei bonum iactum, & ſic facti eſtis perfecta zizania. Scio enim (utinam uocare poſſem uòs fratres) ſcio inquàm iam nullam eſſe in corde ueſtro futurorum fidem, imò nec ullam de iudicio æterno opinionem. Athei eſtis & Epicurei prorſus, non aperti (quod & uobis, & alijs quibus nocetis peius eſt) ſed hypocritarum nouum genus, non triſtes quidē ſed hilares, ut meritò expectare ualeatis æternū luctum, quem ſi ridentibus minatur Dominus, quantò magis irriſoribus, & qui ſui luctus, quem ipſe beatificat, legem ſoluunt?

Quomodo contra iam parata zizania prouiſum fuerit.

HIc *mihi dicet aliquis. At nonne hoc iniurium eſt, ut ſit in eorum poteſtate, qui concordant cū Diabolo ſua ipſorū nequitia aut malitia, ut fiant zizania ac ſemina noxia, ad ipſius Dominici agri corruptionē? Nam quòd ipſi ſibijpſis noceant, hoc, etſi malum, quia tamen promeritum, minime abſurdū uidetur. At quòd etiam alios audeant, & poßint inficere, id minime eſſe permittendum à Domino uideri poteſt. Sed audi lector prudens; Nam & in hoc fuit Domini prouidentia, qui parauit homines, qui id fieri non ſinerent, ut per illum talia ſi pararentur zizania, parata tamen, niſi uolentibus, nocere non poſſent. Fecit enim homines agri cuſtodes, quibus mandauit ut uigilarent ac pro=*

uiderent. Qui ſi dormiant,& permittant uenire inimicum qui interſerat zizania, que eſt culpa Domini? *An non audimus, quòd dormientibus hominibus* Diabolus *iſta ſeminauit?* Deus *autem præceperat ut uigilarent, & ipſa zizania, antequam ſuas agerent radices, ex agro protinus amouerent. Quis autem non intelligat hos homines eſſe præſules, & antiſtites, & doctores, quos præpoſuit Spiritusſanctus in eccleſijs, ut uigilarēt, & uiderent quæ nam et à quibus, in agrū ſemina iacerentur, ut ſi cernerent ab extraneis ſeminari, aut etiam à proprijs, ea tamen quæ meritò non eſſent probanda, omninò ſua doctrina cognoſcerent, ac ſua poteſtate prohiberent?* Ecce *igitur quòd inuenitur culpa, non ſolum eorum qui ſerunt nocentia ſemina, uerùm etiā eorū, qui cū id curare ac prohibere ex officio poterāt ac debebāt, ſomno potius indulſerunt.*

Quomodo etiam plebes ipſæ non ſunt abſquè remedio, etiam ſi a paſtoribus deſtituantur.

O*Bſtabit & hoc in loco mihi alius, & dicet: At nunquid etiam hoc bonum, aut æquum eſt, ut miſeræ plebes,* CHRISTI *oues eius ſanguine redēptæ, ob luporum ſæuitiam, & ob paſtorum ignauiam ac ſocordiam, ita miſerè perdantur? cum (ut iam cōcluſum uidetur) ſua multa ſtoliditate atque ignorantia abducantur, quia uocem ueri paſtoris non agnoſcunt? Nūc ergo audi bone lector.* Hoc *nos primum & certò debemus ſupponere,* Deum *eſſe iuſtum, & diligere æquitatem, & neminem in oportunitate derelinquere, ita* Pſal. 9. *ut cum uideas plebes ita infœliciter à uia ueritatis ac*

ſalutis abduci, non ſtatim putes Deum hoc permittere abſque illarum delictis, & iniquitatibus. Neq; enim talis illarum ignorantia penitus caret culpa: Nam illis ſe per ignorantiam excuſantibus, contrà obijci & dici eis poterit: Ob iſtam cauſſam ego uos iudico. Cũ enim ignoraretis, cur ergo tanquàm ſcientes iudicaſtis, recedentes temerè atque improbè ab inſtitutis maiorum ueſtrorum? Contra hoc autem uel ipſa natura docebat uos, quoniam ſi audiuiſſetis intus remurmurantem conſcientiam ueſtram, id profectò, quo imbuti eratis à patribus, nũquàm repudiaſſetis. Hoc eſt enim quod Apo-
1.Cor. 14. ſtolũ puto admonuiſſe, quùm dixit: Qui ignorat, ignoret. Videbatur fateor mihi aliquando durum, quùm
Matth. 23. audiebam exprobrantem Dominum in rectores ac paſtores, atque dicentem: Væ uobis, quia clauditis regnũ cœlorum ante homines. Vos enim nón intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. et. Circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proſelytum, ut faciatis eum filium
Luc. 6. gehennæ duplo magis quàm uos. et. Si cœcus cœcum duxerit, ambo in foueam cadunt. Mirabar enim mecũ inquiens qua iuſticia, aut qua æquitate id fieret, ut eſſet in poteſtate paſtorum ſic perdere miſeras oues, quas ſummus omniũ Paſtor quæſiuit & cõparauit ſuo ſanguine. Sed intellexi tandẽ nõ euenire hæc abſq; ipſarum ouium culpa, ut ſit uerum, multas oues perdi ob paſtorum quidem ſiue nequitiã, ſiue malitiam; quæ alias non eſſent perditæ, ſi paſtores adhibuiſſent, quã debebãt, curam. Nec tamen perire ullum abſque ſuo proprio delicto & dolo: quoniàm nemini Deum timẽ

ti, & imploranti in quauis ſua neceßitate & anguſtia, ipſius Domini *præſidium deeſt, & ſi homines ipſi deſint.* Scio *q, ex malis paſtorum exemplis, quia diſciplinæ ueritatem non tenent, ſubuertuntur plebes.* Sed Dominus *præcauens admonuit, ne malos eorũ mores ſectarentur, ſed doctrinam ipſorum bonam ſuſciperent.* De *doctrina enim certò prouidit* Dominus, *ne per illos ualeret eccleſia contaminari:* Vt *autem omninò bonis exemplis præſtarent, id quidem iußit, uerũ non ſic prouidit, ut omninò ſic eſſet: quia non oportebat, nec decebat quidem, iam fundamentis* Eccleſiæ *iactis & ſtabilitis.* Non *enim plurima ſanctorum, qui præfuerunt, & quorum aßiduè in eccleſia uita memoratur ac celebratur, deſunt exempla, ita ut & ipſæ plebes ſint inexcuſabiles.* Nam *& propter illarũ flagitia atque ſcelera, ſicut & ſcriptura nos docet,* Do*minus permittit paſtores talibus dignos ouibus.* Igitur *obſtruatur omne os, et cõfiteatur uniuerſus mũdus, et omnis chriſtianorum ſtatus, ſe reum eſſe coram* Deo, *et meritò iſtam uerè* Babylonicam *pati captiuitatem.* Sci*mus q, ſicut* Heua *ſeducta eſt, ita ſeductæ ſunt miſeræ & carnales plebes.* Verùm *ſicut nec excuſauit* Heuam *quòd diceret: Serpens me ſeduxit, (ſatis enim erat intus inſtructa ut metueret:* Nam *& illi dictum fuerat,* Eccleſi. 15. *ut ſibi caueret ab omni iniquo) ita ego plebes per ignorantiam non excuſo, ut euadant abſq; culpa, nec ea ſanè leui, quamuis omninò grauior ſit culpa præſulum, quibus commẽdata eſt cura hæc tanta* Domini *obteſtatione, ut ſi qua eſſet fides, memoratu ſolummodò con-*

tremiſceremus. Ergo iuſtificetur omninò ſapientia à filijs ſuis. Quid enim debuit ille facere, & non fecit? Audi lector, Domini Dei noſtri prouidentiam.

De magna prouidentia Dei in Eccleſia ſua, per ſalem terræ.

Videbat ſapiētiſsimus Dominus & Magiſter omnem hominem de Adam primo ſui natura de terra terrenum, ut non niſi terrena & ſapere & loqui

Ioan. 3. poßet, Vnde Baptiſta ſanctiſsimus aiebat. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Quare et ipſæ ſcripturæ ſanctæ frequenter hominem puluerem, & terram uocant. Terra autem cum ſit lutoſa atque inſipida, quo poterit placere Deo, niſi aliquo pacto cōdiatur ut ſapida fiat? Autor igitur huius terræ Deus, quum uideret hanc terram condiri poſſe ac ſaliri, & propterea capacem eſſe dilectionis ſuæ, ut uniuerſam condiret miſit Sapientiam ſuam, & merſit eam in terram, et ſpiritu ſapientiæ uiuificauit eam, ut ſicut erat

1. Cor. 14. primus homo de terra terrenus, fieret ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Factum eſt ergo uerbum Dei caro, hoc eſt, Deus homo, terra & amator terræ, hoc eſt, noſtri qui terra ſumus. Ideò & ſal nobis fieri uoluit p ſpiritum ſuum, ut condiret & ſaliret nos, quo poßet probare & guſtare nos bonum cibum, & ſuauem palato ſuo: Imò & ex nobis elegit, quos mirifica beneuolentia, & ſingulari beneficentia ad ſe attraxit, ut faceret ſal pro reliqua terra condienda, ut omnes efficeremur cibus eius, & panis perfectus in Paradiſo delitiarum ſuarum.

Dedit ergo à principio, quùm orbem terrarum ue=
let ad ſe trahere Dominus, Apoſtolos, ut per illos, qua
ſi per ſalem, condiret reliquum terrarũ orbem. Qua=
re illis, nec illis tantũ, ſed in eorum perſonis etiam iis,
qui in eorum locum hac parte eſſent ſucceſſuri, dixit:
Vos eſtis ſal terræ. Sed quomodo erant illi ſal terræ,
niſi quia de hoc mundo, quaſi de mari magno abſtra= Matth. 5.
cti, ab eius inſipientia ad ueram, quæ CHRISTVS
eſt, ſapientiam acceſſerunt? atque ideò facti ſunt ſal
terræ: quia ſua ſapientia, quam in moribus & conuer
ſatione abſque iactantia & hypocriſi oſtentabant, com
miſcentes ſe omnibus quodammodo ipſam terram, id
eſt, terrenos homines condiebãt, ut & ipſi ſcirent quò
tenderent, et qua uia illuc ꝑuenire oporteret, ubi eſſet
quies, & perfecta pax. Nam hæc uera hominis ſapien
tia & prudentia eſt, noſſe ſuum uerum finem, ideſt, ul
timum ac ſummum bonum, & uiam qua tendatur in
illum ut apprehendatur. Et uide quo pacto illi beati
diſcipuli condiebant inſipidam terram, ut fieret ſapi=
da, & placeret Deo. Ipſi enim mundi huius illecebras
conculcantes, & petulantiam carnis, et uitæ ſuperbiã,
quæ mundus ſummopere curat, oſtenderunt orbi terra
rum non hic eſſe bonum noſtrum, ſed ſperandũ in cœ=
lis, ijs tamen qui crediderint, & obedientiam diuino
mandato præſtiterint. Hoc enim pacto illi terram con
diebant, pauperes, lugentes, mites atque humiles cor=
de, interim tamen oſtendentes illum, quem intus ha= 2. Cor. 5,
bebant, theſaurum in uaſis fictilibus. Conſpiciebantur
enim in luctu gaudentes, ut qui haberent et cognoſce=

rent arrabonem cœleſtis præmij, & uitæ eternæ. In *egeſtate autem multos locupletantes; quia pleni donis & chariſmatis cœleſtibus impartiebant ſuam ſapientiam multis.* In *humilitate uerò omnem ſuperbiæ altitudinem ſub ſuis pedibus demittentes: quia uirtus* Dei *erat in illis.* Hæc *miracula uidebat terra per hãc* Apo*ſtolicam uitam, ſecundum cuius profeſsionem plurimi* Patrum *noſtrorũ ſucceſſerunt eis, & profecerunt, ut ſimili uitæ tenore ambulantes, condirent pari modo ijs uirtutibus terram, quæ uiſa eſt aliquando per hos repleri ſapientia, ſicut prophetica proclamarant oracula.* Hinc *tot heremi cultores, deſpectores mũdi: hinc innumera monachorum examina, qui habuerunt inſtitutores* Patriarchas *ſuos.*

Sed (heu) ubi nunc iſta uita, quæ in monaſterijs iam uigebat? Hem *quantum declinauimus ab illis* Patrum *noſtrorum ſemitis, plenis floribus ac fructibus heroicarum uirtutum.* Et *cum ita ſit, etiam miramur inſipidam eſſe terram, cum ſal ipſum inueniatur inſulſum?* Quid *ergo ſupereſt quo ſaliatur ipſum ſal?* Dominus *enim ſtatuit rerũ ordines, et cuiq; rei cauſſas aptauit, nec illius eſt ſuum ordinem, qui eſt optimus, uiolare.* Terram *enim oportet eſſe terram, ideſt, indigentem condiri ſale.* Sal *uerò ſimiliter conſeruare ſibi uirtutem ſaliendi & condiendi debet, ut terra per illud, bonum ſui guſtum præbeat* Deo. Hoc *ſi non faciat, profectò non id econuersò fiet ſali, ſcilicet, ut ipſum per inſipidam terram cõdiatur.* Quid *ergo ſupereſt ut fiat ſali, quùm in inſipiẽtiam uenerit? heu nos miſeros.* Eſt

enim hoc uerbum Domini, *non fratris* Ambroſij: Ad *nihilum,inquit,ualet ultrà,niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Nec enim *aptum eſt ut rurſum ipſum ſal terra fiat, aut ſterquilinium eius:* Ineptum *eſt enim huiuſmodi ſal prorſus ad reliqua cuncta officia,unde hoc ſolũ reſtat, uidelicet, ut ab hominibus conculcetur.* Et *ob eam gratiam uidemus hoc uerbum* Domini *noſtra culpa,& cum magno noſtro malo ſua illuſtrari ueritate.* Dati *enim iam ſumus hominibus in conculcationem:quia peccauimus,& quæ promiſimus illi,fecimus irrita.*

Nos *igitur(& hoc unum eſt quod primùm inſtillabo in auribus noſtris cum pace bonorum omnium)*Nos *inquam,qui perfectioris iuſtitiæ ſtatum in monaſterijs profeßi ſumus,non minima ſumus cauſſa tantorũ malorum:quia non condiuimus terram,ut erat nóſtri debiti officij,exemplis uitæ candidioris.* Mitto *hic quòd autores harum turbarum,ideſt, duces & anteſignani huius hæreticæ factionis, bona ac magna pars monachi fuerunt.* Lutherus *enim, nonne erat ordinis hæremitarum ſancti* Auguſtini? Bucerus, *nõne ordinis prædicatorum?* Oecolampadius *nonne ordinis beatæ* Brigitte? Quot *uerò ordinis ſancti* Franciſci? *ut,* Pharellus, Lambertus, Pellicanus, Munſterus, *& alij plures?* Quot *& aliarum regularum profeßores,quorum nomina deleta ſunt de libro uitæ, utpotè qui proditores ac deſertores primæ militiæ, & ad ſtipendia* Sathanæ *accedentes, ſua opera ac ſtudijs hæc incendia orbis terrarum mirum in modum auxerunt.* Sed *mitto hos*

qui aperto Marte contra CHRISTI *eccleſiam pugnant,qui anteà nobiſcum degebant in clauſtris, tanquàm in caſtris* Dei *omnipotentis* : *Nam præter hos quot,rogo, uidemus etiam alijs prætextibus irrumpere,& habitum (ſuæ profeßionis notam) impudenter exuere? quorum item multi ſunt, qui confictis mendaciis ſubrepentes, hanc improbam licentiam,magis extorquent quàm impetrant,homines perfrictæ frontis, & conuerſi in ſtatuam ſalis, iam ad nihilum ultrà utiles, niſi ut ſint ſpectaculum uiatorũ in ſui contumeliã, et aliorum exemplum.* Et *quot inſuper ſunt qui in monaſterijs degentes , hác tamen nota à cæteris diſtinguantur, quòd uiuant abſque obſeruantia deformati?* Iſti *ergo qui uel hoc ipſo nomine ſuam ferunt damnationis ſententiam,ſcilicet,per inobſeruãtiam regulæ, ac morum deformationem,bone* Deus,*quanto ſcandaloſunt orbi terrarum* ; Nam *ea paßim ac publicè admittunt, obſcurati mente, & repleti inſipientia cœcitate,quæ uel narrare ſit turpe.*

Dicet *aliquis inuenire poſſe aliquot inter hos, qui non ita luxurioſè ac flagitioſè uiuant* . Eſto . *Sed hi quàm pauci? An uerò ullum numerum faciant,ipſi uiderint.* Q*uòd enim maxima pars tales ſint,ut uix ullum adeò atræ notæ uocabulum ualeat eos pro meritis deſignare,utinam non pateret plus ſatis.* Verè B. Aug.*ſententia uerißima in illis probatur , qui dicere ſolebat:*Vt *cunctorum mortalium non uidiſſet meliores ijs,qui in monaſterijs profecißent,*Ita *econuersò,ijs qui defeciſſent,deteriores.* Non *me latet, hæc quæ nũc*

dico, uehemens quorundam odium in me paritura. Nã id proprium ueritatis, & hoc ipſa operatur in ijs qui diligunt uanitatem, Alioquin deberent me diligere, & ſeſe emendare, ut quod uerum eſt in eorum ignominiam, falſum redderetur in eorum gloriam: quod & mihi iucundiſsimum foret. Ego enim nõ eá loquor, quæ non ſint notiſsima toti orbi, nec moueor indignatione phariſaica, ſed fraterna charitate, & in ſpiritu deſiderij, communiſque ſalutis, effari cogor.

Neq; illis parcã qui alio nomine reformationis gloriãtur, quos ueneror et obſeruo tãquã Angelos Dei *in ueritate.* Nõnihil *tñ arbitror habere ſpiritũ* Dei *etiã aduerſum nos: quoniam & nos plurimum declinauimus recedentes à ſemitis* Patrum *noſtrorum: quod nõ niſi falsò & impudenter, à quoquã negari poſſe exiſtimo.* Multa *enim licet intueri in nobis, quæ animaduerſione indigeant & correctione, ut ad priſtinum obſeruãtiæ rigorem redire poſsimus. Teſtor ſanctiſsimã ueritatem,* Tepidum *hoc uiuendi genus, animum à feruore remiſſum, laxas manus ac genua diſſoluta, pluri mum hæreticorum cauſſæ patrocinari. Scio plures ueritatem uerbis defendere; ſed uerba ſunt uerba, factis opus eſset, atque exemplis ſpectabilibus & præclaris.* Quis *enim, niſi frigidè, paupertatis uotum defendat, ſi ipſe non ſit uerè corde pauper in* CHRISTO, *& ſtrictæ paupertatis amator?* Quis *pro caſtitate & uirginitate aduerſus hos porcos, in quos* Dominus *immiſit immũdiſsimos illos ſpiritus, dignè uerba facit, qui et ipſe ſit uel facto, uel animo, iam deuotæ pudicitiæ uio* Matth. 7.

lator, aut etiam non uehementer dilector? Hō item qui nimis ſomno indulgeat et uētri, quo pacto, aut quo iure deuotas uigilias, Dei *laudes, ieiunia, delectumq; ciborum defendat, ut uitia comprimantur, ut eleuetur mens, uirtutes quærantur & præmia?* An *non, queſo, ueremur audire uerbum illud adeò durum:* Peccatori
Pſal. 49. *dicit* Deus, Q*uare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Tu *uerò odiſti diſciplinam, proieciſti ſermones meos retrorſum &c.* Scio *nec me latet eſſe diſpenſationes;* At *quæ non conuertuntur in regulam, & quæ cum timore accipiantur, potius quàm quærantur.* Ecce *igitur magna cauſſa ſcandalorum in eccleſia* Dei, *nimirum nos ipſi monachi, magna ex parte facti ſal inſulſum, quo iam non poteſt condiri terra, ſed eſt proximum conculcationi.* Q*uod* Deus *ſua miſericordia à nobis auertat.* Auerte*ret autem proculdubiò, ſi nos cōuerteremur ad ipſum, qui miſericors eſt, & benignus, & longanimis: & de-*
Iſa. 49. *nique talis, ut etſi mater poßit obliuiſci infantem uteris ſui, ſed non ipſe.* Hoc *enim, teſte* B. Patriarcha *noſtro* Dominico, *magnum eſſet hæreſum & hæreticorum uenenum uita noſtra ſancta & religioſa.*

De prouidentia Dei in eccleſia per lucem mundi.

V*Idebat & ſapientißimus* Magiſter *&* Dominus, *ipſas plebes non ſolùm inſipidæ terræ, uerùm etiam tenebris comparari, eò quòd in negotijs mūdanis uerſantes, ijsq; miris modis abſtractæ & obuolutæ (quæ certè tenebræ ſunt comparatione cœleſtium) in tenebris degere dici poſſunt.* Q*uamobrem opor-*

tuit illas ab aliјs ſaltem aliquid lucis mutuari, quantũ ſatis eis erat ad ſalutem. Prouidit igitur Dominus illis de luce: Fecit enim cœlos & ſydera, ipſos Apoſtolos ſuos, ad illucendum iјs, qui in tenebris huiuſmodi ſederent, ad dirigendum pedes eorum in uiam pacis. Fecit igitur eos doctores, ut impartirent mundo doctrinam cœleſtem. Vnde et illis dicit: Vos eſtis lux mũdi. Nec illis tantum, ſed & cunctis, qui in hac adminiſtratione & officio illis ſuccederent. Prouidit enim in perpetuum eccleſiæ ſuæ. Porrò nunc ſi uera dicenda ſunt, per eos qui tales eſſe debuerunt, plurimum peccari ſæculis noſtris perſpeximus, cum de ſuggeſto non utilia plebibus, neque congruentia, quæ ue ad ſalutem facerent, proponebantur: ſed curioſa potius, & quæ nonnunquàm ſubuerſionẽ potius, quàm edificationem præſtabant. Non enim dilucidabantur eis ſcripturæ ſanctæ & euangelium regni: nec declarabatur tenor uitæ earum malus: nec terrebantur à preparatis ſupplicijs æterni ignis: nec alliciebantur ad uirtutes à propoſito immortalis & iucundiſſimæ uitæ præmio. Quare miſeræ plebes, ſuis in tenebris obuolutæ permanentes, nihil in lege Domini promouebãt. Matth. 5.

Mitto ꝙ ferè nullus erat prædicatorũ delectus, et intermittebatur ſtudium doctrinæ, & exercitium. Nã pauci admodum accedebant ad conciones, & eorum qui accedebant, perpauci diſcendi gratia, ita ut iam exularet uera illa doctrina, quæ faceret ad ædificationem, quouſque permiſit tandem Dominus uenire hos nouarum ſectarum autores, & prædicatores perni-

tioſorum dogmatū, adulterantes et cauponantes ſacra ſcripturarum uerba. Et nunc illud eſt (ô miſeram temporum conditionem) quùm magna pars eorum, qui ſe doctores profitebantur et magiſtros, uidentes hoc genus malè ſanæ doctrinæ placere turbis, ad earum guſtū & ſeipſos et ſuos ſermones mirū in modū

Matth. 6. formant, ut uerè populis dici poßit. Si lux quæ in uobis eſt tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ? hoc eſt. Si magiſtri ueſtri fuerint obtenebrati et excæcati, à quibus debueratis illuminari, uos ipſi, qui ueſtrapte conditione eſtis tenebræ, quantæ eritis? Ecce igitur & alia magna cauſſa tenebrarum harum; quia qui debuerunt eſſe lux, ipſi facti ſunt tenebræ: Et niſi Dominus

Iſa. 45. ipſe ſuccurrat, qui ait. Ego Deus creans lucem, & faciens tenebras, & qui nouit de tenebris ſolo nutu lumen eruere actum eſſe iam uideo.

Sermo ad eccleſiaſticos concionatores.

AD uos igitur & nunc me uerto prædicatores, quorum eſt uitæ pabulum præbere populis, nunquid libenter ſuffertis uerbum ueritatis, & exhortationis? Ad uos igitur nunc meus ſermo dirigitur, et ad eos primùm, quorum nunc (heu) nimis magnus eſt numerus, qui omni operà atq; induſtria quærunt effici magiſtri, ambientes doctrinæ & prædicationis cathedras, & illas primas. Cur non attenditis uerbum Domini, execrantis hæc & monentis. Nolite uocari Rabbi & magiſtri. Vnus eſt enim magiſter ueſter

Matth. 23. CHRISTVS, & B. Iacobus. Nolite fieri plures ma-

Iac. 3. giſtri, ſcientes q maiorem damnationē acquiritis, quia

qui

qui non offendit uerbo, hic perfectus eſt. Quid eſt quòd prædicare ea eligitis, quæ ſunt ſecundum ſapientiam carnis, & non ſpiritus, niſi quia quæ ſunt IESV CHRISTI non quæritis? hoc eſt, animarum ſalutem, ſed ueſtram gloriam, ut placeatis hominibus, & gloriemini in illis, immemores apoſtolice illius ſententiæ: *Si hominibus placerem* CHRISTI *ſeruus non eſſem?* Ad Gal.1. Verum putatis bonitatem diuinam diu uos laturam? non ſpero. Citò enim ac uelociter ueniet confuſio ueſtra: quia ueniet lux ueritatis, quæ fugabit tenebras et errores. Memento te ſcripturæ dicentis: *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.* 1.Cor.11. Et B. Aug. elegāter teſtatur ideò Deū permittere hæreticos creſcere, ut excitet ſuos ad ſcrutandum ſcripturas, et diligenter incumbendum illis, quarum ſtudium alioquin tepeſceret et omitteretur. Nam cum ipſæ internè perſpectæ non niſi ſpiritus ſint & uita, non ualent niſi ſpiritualiter examinari & iudicari. Sed quotuſquiſq; qui habeat ſpiritum Dei & ſapiat? Id profectò per paucorum eſt. Verum excitabit Dominus ſpiritum eorum quos elegerit, & uos eritis portio triumphi & gloriæ eorum: quoniam confundemini rationibus, & conculcabimini increpationibus duris, & apparebit tandem uanitas ueſtra cum ipſorum gloria ſempiterna. Quare ad eos qui alterius mentis ſunt, conuerto ſermonem meum, & in Domino hortor uos, quicunq; bonæ mentis eſtis (ſi qui tamen eſtis, quos ſpiritus & zelus Domini agere incipit) diligite ſapientiam, inſtate lectioni, orationi uacate, poſtulate a Deo ſapien-

tiam qui dat omnibus benignè & affluenter, nec im=
Iac.1. properat, preparate uos in opus Euangeliſtarum, ſuc
cincti lumbos ueſtros in ueritate, & induti loricam iu
Eph.6. ſtitiæ, & calceati pedes in euangelium pacis. Atten=
dite & uidete quia nunc illud eſt, quum ſana doctrina
non ſuſtinetur, ſed ad ſua deſideria coaceruat ſibi
2. Tim.4. quiſq; magiſtros prurientes auribus, & à ueritate
quidem auditum auertit, ad uanitates autem conuerti
tur. Nam tacito quodam clamore turbarum multitu=
Iſa.38. do ſuos eccleſiaſticos his uerbis effari uidetur. Nolite
aſpicere nobis quæ recta ſunt, loquimini nobis placen=
tia, uidete nobis errores, & cætera quæ caro uehe=
menter affectat. Nec deeſſe tamen putandum eſt mul
tos, qui non adeò faſcinati ſunt, ut non cupiant quæ
ſunt ueritatis & uitæ. Sed morantur eos, qui &
ſermone & opere ualeant perſuadere. Vos igitur
in illud fixo oculo primum intendite, nihil eſſe pul=
chrius ueritate quæ circa diuina uerſatur, nihil ma=
Iac.5. gis ſalutare quàm peccatores conuertere ab errori=
bus uiarum ſuarum. Ait frater Domini, ſi quis con=
uerti fecerit peccatorem ab errore uiæ ſuæ, ſaluabit
animam eius à morte, & operiet multitudinē peccato
rum. Si qua ergò conſolatio in CHRISTO, ſi quod
ſolatium charitatis, ſi qua uiſcera miſericordiæ, idem
ad quod peruenimus comprobantes, uigilate, la=
borate, prædicate ſincerè, nihil per contentionem, ni
hil per inanem gloriam facientes, ſed ipſius Dei glo=
riæ ſtudentes & animarum ſaluti, de corde puro &
conſcientia bona, & fide non ficta, ſerite ſemen bonum.

ut gloria ueſtra ſit teſtimonium conſcientiæ ueſtræ in ſpiritusſancto, quòd in ſimplicitate cordis, & ſynceritate Dei, & non in ſapientia carnali diſpenſaueritis panem uitæ, & aquam ſalutis. Memores uerbi Dei: *Qui fecerit et docuerit his magnus uocabitur in regno celorum.* Et *hæc ſatis illis qui confidunt ſe eſſe duces cæcorum, & lumen eorum qui ſunt in tenebris, habentes formam ſcientiæ & ueritatis in euangelio* Dei. *Si enim hec ſedulò ſeruarentur, multum aduerſum zizania & mala ſemina proficeretis in Domino.* Matth.5.

De prouidentia Dei in Eccleſiam per paſtores.

V*Idebat tandem idem ſapientiſs. Magiſter ac* Dominus *noſter ipſas plebes ſui natura eſſe uelut oues improuidas, & lupis ac cæteris malis beſtijs ad omnem direptionem atq; errorem, niſi cohibeantur, expoſitas. Quapropter eſt ſcriptum quòd Dominus uidens turbas, miſertus eſt earum, quia erant uexatæ ac diſperſæ, quaſi oues non habentes paſtorem, & tunc dixit diſcipulis ſuis.* Rogate *Dominum meßis ut mittat operarios in meſſem ſuam. Quocirca prouidit illis* Dominus *de paſtoribus et rectoribus ſuis, ut paſtorum officia in plebes exercēdo, cōtinerēt eas intra caulas et ouile ouiū, et dirigerēt in paſcua et paſcerent, et ſic cuſtoditas tandē ipſi* Deo *& regi paſtorū qui condidit, et proprio ſanguine redemit, eas ſaluas redderēt.* Hoc *ergo fecit* Dominus, *qui creauit* A*poſtolos ſuos etiā paſtores ouium, ſui loco, qui & egregiè functi ſunt munere ſuo, ponentes animas ſuas pro ouibus ſuis.* Verùm *quia & illi morti obnoxij erant, oportuit alios* Luc.10.

in paſtorali cura ſufficere, qui ſimiliter cuſtodirēt Do*mini gregem, à quibus intendentia & uigilantia primùm exigitur ſuper gregem ipſum, & reliqua quæ ſcripturæ ſanctæ nos docent.*

Sermo ad paſtores gregum Epiſcopos Eccleſiarum.

Q*Vocirca poſtremo loco flecto genua coram* Do*mino* IESV CHRISTO, *& iis qui locum eius gerunt in terris, quos & Spiritus ſanctus poſuit* Epi*ſcopos eccleſiarum, quas ipſe tanto ac tam pretioſo ſanguine redemit, & ad uos me uerto nunc, atque obſecro, ut quæ de ſpiritu charitatis (etſi paulò fortè licentius, amanter tamen, atque reuerenter) effundam, eam in partem accipiatis, in quam animus meus,* (Deo *teſte) dirigitur, nempe ad ædificationē, non in deſtructionem.* Ego *nullum iudico, neminē deſigno, cunctos & ſingulos colo & ueneror.* Eſt *tamen* A*poſtolica exhortatio ad uos, tanquàm hæc noſtra tempora certò proſpicientis, in hunc modnm. Attēdite uobis &*
Act. 10. *uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus ſanctus poſuit* Epi*ſcopos ad regendam eccleſiam* Dei, *quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Ego *ſcio quòd intrabunt poſt diſceßionem meam lupi rapes in uos, non parcentes gregi, & ex uobis exſurgent uiri, loquentes peruerſa ut abducant diſcipulos poſt ſe.* Propter *quod uigilate &c. hæc* B. Paul. *At diuturna eſt aduerſum nos querela totius orbis, quam etiam miris artibus fouet Sathan, ad deſtructionem autem ipſe non ad edificationem. Conqueritur mundus, quòd hæc officia dominico gregi à no-*

biſ iam non impenduntur. Nam quæ ſuperuenerunt eccleſiæ ſcãdala, & ſuperſata in agro Domini, et quæ nunc adeò ſuperſeruntur, zizania, ſatis ſuperq; atteſtantur q̃ dormiuimus, et adhuc tot et tantis rumoribus excitati, non excutimus ſomnum. Hem per hunc ipſum ſoporem commutatæ ſunt res, ut ea quæ ſunt, in ea quæ non ſunt transferantur. Dixit Apoſtolus: Si 1. Timo. 3.
quis epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, ſobrium, iuſtum, prudentem, doctorem, & quæ ſequuntur. Nunc uerò epiſcopatus non iam opus bonum cenſetur, illa ſcilicet ſuperintendentia & cura gregis. Perdidimus enim cum re ipſa etiam uocis ſignificationem. Epiſcopatus appellatione ſolummodò honor ac temporalium bonorum prouentus uenit: & qui epiſcopatum deſiderat, hoc nunc tãntum ſe deſiderare oſtentat. Nam cum de eo tractatur, id primum, imò id ſolũ nũc inquiri ſolet, quantum habeat de apportatis (ita enim curiali uerbo loquuntur) ut hinc ex redditibus uel paucis uel multis, cenſeatur epiſcopatus uel bonus, uel malus. Ita tandem ut epiſcopatus ſint ipſa prædia ruſtica uel urbana, & decimæ, ſiue cenſus. Et cum quæruntur redditus qui apportentur, hinc ſatis conſtat paſtorem longè manere ab ipſo grege, & ita de grege ipſo curando nec ullam prorſus haberi rationem. Quis enim neſciat eſſe nonnullos paſtorum qui ne ullam ſuarum ouium cognorunt unquàm, ſaltem de facie, & fortè nec ipſam ciuitatem uiderunt, cuius epiſcopatum ſuſceperunt, ne dixerim ambierunt? No-

lo autem hic oſtendere, quàm diſtent plurimi à merito tanti gradus. Id colligi *facile poteſt, ab ijs quæ in uero* Epiſcopo, *iuxta* A*poſtolicam doctrinam, requiruntur, uidelicet, ut ſit irreprehenſibilis, ſicut decet* Dei *diſpenſatorem, ut ſit ſobrius, prudens, pudicus, ornatus, hoſpitalis, iuſtitia & æquitate præditus ac ſanctitate; non neophytus, ſed qui teſtimonium bonum habeat ab omnibus, etiam ab ijs qui foris ſunt: ut ſit doctor, & amplexator tenax ſermonis fidelis, et potens exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt reuincere.* Videat *igitur quiſque noſtrum, ò* Domini, *ò* Patres, *ſemet ipſum in* A*poſtolico hoc ſermone tamquàm in ſpeculo, & nos metipſi iudicemus utrum ſit iuſta* Spiritus *ſancti querela aduerſum nos.* Nam *quotuſquiſque eſt, qui has conditiones recognoſcat in ſemetipſo? & utinam ijs non multò aduerſas.* Nam *nos in primis decebat eſſe lucem in tenebris, & ſal ſapidum ad condiendam terram.* Sed *quotuſquiſque noſtrum (ſit mihi fas uera loqui) qui legis chriſtianæ uel ipſa elementa norit? non dico nullum eſſe, ſed ut patet, quàm pauciſſimos, qui norunt à tritico zizania ſecernere.* Et *quæ uobis dico, mihi item prius tacitè loquens in corde dico.* Narrabo *hic teſtè* Deo *rem ueram.* Hortabar *ego quendam non infimi ordinis* Antiſtitem *ſatis familiariter, ut gregi ſuo uigilanter attenderet, nec ſineret eum labefactari per harum hæreſum ſatores, ſed cùm primùm eos deprehenderet, & autoritate prohiberet, et ſi opus eſſet, etiam poteſtatibus traderet puniendos.* Tunc *ille mihi ſeriò:* Atqui, *inquit,*

mihi potius Gamalielis conſilium arridebat, ut hos minime prohiberem ſed ſinerem prædicare ut uellent; Nam ſi ex Deo fuerit hæc doctrina, pugnaremus fruſtrà cum illis, & theomachi cenſeremur. Sin autem ſit ex hominibus, ſua ſponte diſſoluetur. Quid hic dicemus, an non ſunt hæ meræ tenebræ, & pluſquàm ægiptiacæ? Dubitabat enim ille præſul adhuc, ideſt, poſt Pontificum tam graues pronunciationes, poſt Doctorum ac Theologorū ſententias tam perſpicuas, poſt alia tanta præiudicia, & ipſius doctrinæ fructus tam malignos ac peſtilentes, dubitabat inquam, utrum ipſa Lutherana doctrina eſſet ex Deo, & ueniſſet de cœlo, ut opus eſſet conſilio Gamalielis.

Quamobrem hoc in loco, cum ſuccurrāt quædam, ijs quæ narrata ſunt etiam deteriora, penè mihi occluditur os, & præcordia dolore perſtringuntur. Vt ſint enim remedia manifeſta huic malo, ne amplius ſæuiat ſed compeſcatur, qui ea tamen debent adhibere, preſtò non ſunt ut adhibeant, & qui adhibita ſuſcipere debent, non ſuſcipiunt. Quid aliud igitur reſtat, niſi ut uolentes perire, meritò pereant, & ita rurſum iuſtificetur ſapientia à filijs ſuis? Nam omninò quæ certa ſigna ſunt ad interitum, omnia prorſus cumulata adeſſe uidentur. Cum enim tantoperè uigeat hic morbus, ac tam latè graſſetur, uix tamen facit in aliquo ſenſum aut dolorem, perindeq́; nos habemus, atque ſi ſalua & ſana ſint omnia. Et hoc eſt peßimum & periculoſißimum ægritudinis genus, uim ſcilicet morbi non ſentire, idq́; ſignum eſt euidens, membra iam care

re ſpiritu uitæ, ut quæ ſupra modum à morbi graui tate atque exceſſu oppreſſa ſint. In eo enim articulo corpus hoc conſtitutum inuenitur, ut à planta pedis uſque ad uerticem, uix appareat in membro ſanitas, et nihilominus comedimus, & bibimus, & ſaltamus, & in utramque dormimus aurem, multis interim animarum milibus ante oculos noſtros pereuntibus, & cadentibus in tartareas Orci fauces, pro quibus CHRISTVS IESVS *eſt crucifixus.*

Quod ſi ita eſt, ubi eſt ergo ſermonis fructus, quē ab initio pollicebar? Ecce indicaui tantorum malorum cauſſas, oſtendi remedia, quid amplius quæritur? Patet enim remedium primum, quod eſt expergiſci à ſomno, redire ad cor, reuocare ſenſum, peſtem agnoſcere, diram eius malignitatem perpendere, perſpicere cauſſas, & quæ ſeſe indicant, uidere remedia, & apponere. Si enim hæc eſt una cauſſarum, quia lux uerſa eſt in tenebras, ergo (ſi fieri poteſt) tenebræ uertantur in lucem, aut noua lux ueniat. Si item ſuperiori cauſſæ hæc adiungitur: quia ſal eſt infatuatum, ergo reſipiſcat ſi poteſt, aut nouum ſal educatur de terra. Si denique hæc omnium maxima cauſſa eſt, quoniam paſtores deſunt officio ſuo, quia facti ſunt penè omnes uel mercenarij uel lupi: ergo reuocent animū, & induant boni paſtoris uiſcera, ut animā ſuā ualeāt (ſi ſit opus) ponere pro ouibus ſuis: aut ſi id fieri neq̄t, eueniet illud Matth. 21. *quod ui ueritatis ab ipſis extortū eſt à parabola: Malos male perdet, & uineam ſuā locabit alijs agricolis, qui reddāt fructum in tempore. Nā ſi uera pandenda*

ſunt, iam non magna ſpes eſt ut lux, quæ ſemel euaſit in tenebras, illucere iterum poßit, & ſal ſemel infatuatum ad aliud ultrà ualeat, niſi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. De prauis autem paſtoribus, ideſt, mercenarijs, ad quos nihil attinet de ouibus, & qui iam euaſerunt in lupos, quid eſt, obſecro, ſperandum aliud quàm quod Dominus per prophetas cõminatus eſt in illos? Nam hæc profectò tempora uidetur reſpicere ſermo ille Domini. Audite paſtores mali uerbum Domini. Viuo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quòd non eſſet paſtor (neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant) propterea paſtores audite uerbum Domini. Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciem eos, ut ultrà non paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam, Quia hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipſe requiram oues meas & uiſitabo eas. Et per alium inquit: Et dabo uobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent uos ſcientia & doctrina. Hæc ſunt uerba Domini de cœlo tonantis. Non ergo eſt deſperandum omninò, etſi fortè de hominibus, at non de Deo & Patre miſericordiarum, et Deo totius conſolationis. Non enim accepit adhuc ſanguis Domini IESV ſine prætio prætioſus cuncta præmia ſua.

Ezech. 34.

Hier. 3.

Nondum Patriarcharum & Prophetarum inclyta merita pro ſuis contribuli bus ſunt exhauſta. Redire oportet primùm Iudæos ad CHRISTVM, qui etſi propter euangeliũ inimici, chariſſimi tamen ſunt pro
Rom.11. pter Patres. Nondum laboribus Apoſtolorum, & ſanguini cunctorũ cum illis tot innumerabilium Martyrum ſupereffuſo, reddita eſt digna remuneratio, quam per Dei gratiã promeruerunt in CHRISTO & per CHRISTVM, apud illum qui reddit in menſura bona, conferta, coagitata & ſupereffluente in ſi-
Luc. 6. num noſtrum. Nondum tot lachrimis, & uigilijs, & deſiderijs, ac ſuſpirijs ſanctis, Confeſſorum & Monachorum, et Virginum, & Viduarum ſanctarum, ſatis retributum eſt à clementia munificentiſſimi Dei Pa-
3. Reg. 19. tris. Relicta ſunt & adhuc multa millia uirorum, qui nõ curuauerunt genua ante Baal. Et puto etiã multos eſſe in omni ſtatu zelatores pro domo Domini, qui miris uotis deſiderant reſtitui ſponſæ CHRISTI decorem, ac nitorem ſuum. Fallor? an uerò uideo quod parat Dominus, & in arcanis reponitur ſcripturarum? Dicam fiducialiter quod mihi uidere uiſus ſum, ſcilicet, potiorem eccleſiæ partem (hi ſunt ſerui Dei, qui ſpiritu deſiderij aguntur) & hos orationi intentos orare pro Petro, quem uident claudi in carcere,
Act.12. ab Herode comprehenſum, & uenire Angelum Dei cum lumine, & refulgere in habitaculo carceris, & percutere latus Petri dormientis, & excitare illum à ſomno, & illum ſurgere uelociter, & excidere cathenas de manibus eius, ac iuſſu Angeli ſe præcinge-

re, ſeq; calceare in præparationem euangelij pacis; & ueſtiri ueſtimento ſuo, hoc eſt, ornamentis uirtutum, quæ Pontificem *decent, & ſic inſtructum ſequi* Angelum Dei, *uidelicet,* Dominum IESVM *præeuntem, & uſque ad portam ferream progredientem, quæ ultrò aperiatur eis.* Hæc *per allegoriam dicta eſſe quis dubitet?* An *uerò de ſpiritu* Dei *innuerim quæ imminent ad eccleſiarum ſpem & ſolatiū, ipſe nouit.* E*go quidem nec aſſerere auſim, nec inficiari.*

Illud ſaltem quis nō uideat nunc illud eſſe, cū iactari uidemus nauim Dn̄i *magnis fluctibus ipſo dormiente in illa, ſicut* Euangelica *narrat hiſtoria, quoniam non ex eius præſcripto ac norma data ab eo regitur,* Matth. 8. *ꝑp quod irruunt uenti, & ingruunt tēpeſtates, & incipit nauis mergi. Quid igitur faciendum, aut quid expectandum?* Nunquid *ut fortè* Neptunus *aliquis* Deus *maris caput erigat undis, & cum tridenti comminetur uentis & mari?* Sed *hæ fabulæ ſunt, & nugæ poetarum, ac ſpes gentium.* Quid *enim ait euangelium? nempe quòd ipſi diſcipuli, qui extremum tandem ſenſere periculum, adorſi ſunt* Dominum, *& excitarunt illum à ſomno dicentes:* Magiſter *non eſt tibi curæ quòd perimus?* Domine *ſalua nos.* Tunc *enim excitatus* Dominus *imperauit uentis et mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Ergo *ad hoc exemplum excitari debemus nos, ò paſtores ouium, ò eccleſiæ* CHRISTI, *quicunque diſcipulos eius nos eſſe profitemur, ſi quid adhuc ſpiritus charitatis in nobis, ſi qua uiſcera miſericordiæ erga noſmetipſos:* Alioqui *(diuinare mihi uideor)*

excitabimur ab inſtanti periculo, & cogemur tacti dolore cordis intrinſecus, cum oratione & lachrimis, & clamore ualido, in humilitate, & patientia non ficta, & cum dignis ipſius pœnitentiæ fructibus, qui ſunt uera morum reformatio, & noua uita, in luctu et planctu, in cinere & cilicio, adire et interpellare dormientem Dominum præſcriptis uerbis. Magiſter nonne ad te pertinet quòd perimus? Surge Domine, attēde, & ſalua nos. Et tūc uerò tandem exurget ille cum poteſtate & imperio, & obiurgabit uentos & ſilebunt, & imperabit pelago, & quieſcet, & redibit optata ſerenitas, ut cum gaudio & gratiarum actione feramur aura proſpera, ceſſante omni tempeſtate, ad deſideratum portum, Et lœtabuntur cœli, & concinent iterum Angeli: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus à bona uoluntate Dei. Zelus Domini exercituum faciet hæc. Nam ipſe eſt qui dixit: Ego
Matth. 28. *uobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Hæc ſunt igitur quæ de faciæ cœli, ac ſignis temporum coniectaui, & credidi, propter quod locutus ſum. Qui ergo habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat eccleſijs.*

FINIS.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O.

Omnes ſunt Quaterni.

VENETIIS APVD GABRIE-
LEM IOLITVM DE
FERRARIIS.
M D XLVII.


SEMPER
G G
F